DE

EXCERPTIS TIBVLLIANIS

DISSERTATIO

INAVGVRALIS PHILOLOGICA

SCRIPSIT

ERNESTVS PROTZEN

POMERANVS

GRYPHISWALDIAE MDCCCLXIX

TYPIS EXPRESSERE HERRCKE ET LEBELING SEDINENSES

DE

EXCERPTIS TIBVLLIANIS

DISSERTATIO

INAVGVRALIS PHILOLOGICA

QUAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE GRYPHISWALDENSI

RITE OBTINENDORVM CAVSSA

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE V MENSIS AVGVSTI ANNI MDCCCLXIX

IN AVDITORIO MAXVMO HORA XI

PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

ERNESTVS PROTZEN

STARGARDIENSIS

Heinrich

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

E. HERZOG, STVD. PHIL.
P. KLAMANN, STUD. MED.
W. KIRSTEIN, CAND. THEOL.

GRYPHISWALDIAE MDCCCLXIX

TYPIS EXPRESSERE HERRCKE ET LEBELING SEDINENSES

FRANCISCO · BVECHELERO

HVNC · LIBELLVM

GRATI · ANIMI · TESTEM

D. D. D.

ERNESTVS · PROTZEN

Publicavit nuper in Philologo (a. 1868, XXVII, pag. 152—157) Eduardus Woelfflinus excerpta Tibulliana e codice Parisino ,Notre-Dame 188' saeculi XIII, quae aetate vetustiora quam codices nostri omnes in textu poetae restituendo a nullo dum adhibita sunt. cum vir doctus ille non accuratius haec excerpta examinaverit, ipse non ignarus quantae utilitatis diligens eorum disquisitio in crisi Tibulliana esse posset, eo libentius hoc munus adgrediebar, quo vehementius suavissima Tibulli carmina tot vitiis inquinata iacere dolebam. cum vero intellegerem certum iudicium de horum flosculorum bonitate et fide fieri non posse nisi omnium, quae quidem adhuc nota sunt, excerptorum ratione habita, non solum Vincentii Bellovacensis et Scaligeri eclogas sed etiam codicis Frisingensis excerpta Tibulliana, quorum inspiciendorum Buechelerus copiam mihi fecerat exoptatissimam, diligenter excutiebam. is enim summa erga me benevolentia cum in aliis consilio suo me adiuvit tum ab Halmii v. ill. liberalitate impetravit, ut in meas manus perveniret illorum Tibulli fragmentorum apographon factum a Guil. Meyero, cui ut gratiam huius officii aliquando referre possim magno opere opto, et quidem Halmii iudicio factum accuratissime. et quoniam haec excerptio a nullo antea neque edita neque satis illustrata erat, et editurus eram integram et de praestantia eius ac fide meam sententiam explicabam et singulas deinceps scripturas illustrabam. sed exeunte anno praeterito cum dissertationi huic finem impositurus eram, de Frisigensibus excerptis Tibullianis commentationem Luciani Muelleri sub prelo versari comperi, qua per-

lecta[1]) cum non exiguam operis mei partem occupatam esse cognovissem, totam rem retractandam duxi, praesertim cum non omnia quae Muellerus disputasset vera esse et certa viderem.

Igitur hanc nunc disputationis viam ingressus sum, ut primum de Frisingensibus excerptis quaecunque aut omisisset aut non recte explicasse visus esset Muellerus proponerem, deinde de ceteris excerptis et maxume de Nostradamensibus quae certa ratione viderentur posse effici expromerem.

---

[1]) Lucian Mueller: über die handschriftliche überlieferung des Tibullus im mittelalter. neue jahrbücher für phil. und paed. v. Fleckeisen und Masius. 1869 bd. 99, pag 63—77.

I.

De excerptis Frisingensibus.

Excerptorum in textu Tibulli restituendo primus rationem habuit J. Jos. Scaliger. is enim praeter codices recentiores et interpolatos et praeter Cuiacii fragmentum illud ‚peroptimum et emendatissimum' etiam excerpta Tibulliana in manibus habebat, quae ipse pervetusta vocat et quibus plurimum se adiutum esse profitetur (cf. ed. e bibliopolio Commeliniano a. 1600, castt. p. 125 B). post eum nostro saeculo Lachmannus excerpta Vincentii Bellovacensis, qui circa annum millesimum ducentesimum quinquagesimum florebat, in apparatum criticum Tibulli recepit: Frisingensibus vero excerptis Lachmannus nondum usus est, accepturus enim erat illorum apographon a Docenio, nisi mors hunc abstulisset: Dissenius quidem duodecim locis I, 1, 2: I, 1, 6: I, 1, 25: I, 1, 34: I, 1, 71: I, 2, 19: I, 6, 34: I, 7, 12: I, 8, 51: III, 3, 22: III, 6, 44: III, 6, 52 et semel I, 1, 71 ne recte quidem Frisingensium eclogarum scripturas notavit, sed ita, ut de amplitudine earum et bonitate ex illis notulis certa minume statui possent: quam ob caussam tandem aliquando diligentius ea excutere non ab re videbatur.

Cum Lachmannus excerpta Frisingensia, quae vetustate omnes certe codices atque haud scio an etiam excerpta omnia

superant — nam saeculo undecimo[2]) exarata sunt[3]) — non diversa esse a Vincentianis et Scaligeranis suspicaretur, mihi quidem e paucis Dissenii notis persuaseram non eandem haec atque cetera referre originem, quod iam certissimum mihi est factum, postquam apographon illud inspexi. uti enim pro explorato habeo, excerpta cetera, de quibus infra copiosius disputandum erit, unius quasi fluminis esse rivos atque fossas, ita huius rivuli cursum ex illius fluminis alveo derivatum esse praefracte nego. nam praeterquam quod Frisingensia excerpta multos comprehendunt versus quos cetera non exhibent et vice versa, scripturae in eis locis quos utraque praebent raro consentiunt, saepissime discrepant. velut conspirant cetera omnia excerpta III, 6, 43—44 in hanc scripturam

,felix quicunque dolore
alterius *didicit* posse cavere *suum*,'

sola Frisingensia habent

,felix quicumque dolore
alterius *disces* posse cavere *tuo*.'

si plura vis exempla cf. I, 1, 6: I, 1, 34: I, 1, 25: I, 5, 70: III, 3, 22: III, 6, 33, 35, 36.[4]) quae cum ita sint, non errasse Muellerum adparet ne ex eodem quidem codice utraque esse excerpta contendentem. ceterum dubitari non potest, quin is codex e quo Frisingensia originem duxere ut vetustissimus ita optumus et emendatissimus fuerit, quoniam Frisingenses scripturae plerumque alias omnes probabilitate superant neque ullo loco ut ostendit Muellerus interpolationis praebent vestigium:

---

[2]) offendi equidem in legendis excerptis ea re, quod notaria scriptura ($\overset{i}{m}$ = mihi, $\overset{i}{s}$ = sibi, $\overset{o}{m}$ = modo), quam in aliis codicibus aeque vestustis non frequentari constat, saepius reperitur: attamen de aetate codicis dubitandum non videtur.

[3]) de codice nonnulla rettulit Ed. Woelfflinus in commentatione de Publilio Syro mimographo in Philolog. XXII, pag. 437—468.

[4]) eodem modo etiam cum codicum nostrorum scripturis exce. Friss. non raro discrepare observabis, velut I. 2, 19 sola praebent Friss. ,molli *derepere* lecto', cum libri teneant omnes ,molli *decedere* lecto', cf. etiam I, 1, 25.

quamquam librarii ignorantia non solum verba saepius deformavit sed etiam ordinis turbati praecipua fuisse caussa videtur. praecipuam dico, nam duas equidem suspicor dirupti ordinis in excerptis nostris esse caussas neque Muellero assentior, apud quem de hac re l. c. pag. 70 haec invenio scripta: „darf ich meine meinung offen sagen, so entbehren sie vollständig jedes princips, und die unordnung in der reihenfolge rührt einfach daher, dass die redactoren, denen eine handschrift des Tibull oder anderweitige excerpte vorlagen, die erste zusammenstellung beliebig durch spätere zuthaten gemehrt haben.“ ea enim res qua primo quidem adspectu valde offendimur, quod inter ampliores sententias singula verba interiecta invenimus, non levis est ni fallor momenti, cum inde hoc effici arbitrer, scriptorem Frisingensem non integrum Tibulli corpus ipsum sed excerpta alia compilasse: is enim qui primus haec excerpta composuit, praeter sententias singula etiam verba e codice enotavit, sed ita, si quid video, ut marginibus ea adscriberet, fortasse totas in quibus verba ista inerant sententias postea una cum aliis similis argumenti compositurus, fortasse (quod veri similius est) grammaticas aut glossematicas — huc quidem spectare videtur compositio verborum ‚colu, stamina, litia telis‘ — notas adiecturus: posteriores vero, qui eruditione et scientia multo rudiores ut fere medii aevi excerptores non curabant nisi locos communes et morales, ignari quid his notis faciendum esset, singula vocabula sententiis inmiscebant: et quoniam sententiis tantum modo excerpendis erant intenti, singula ista verba neglecto ordine plerumque quasi in agmen congregata inter sententias inculcabant. certe in primitivis excerptis haec singula verba non mediis infuisse, sed intervenisse compilatorum posteriorum culpa eo magis ut credam adducor, quod illa si ieceris, fere eodem ordine excerpta Frisingensia procedunt, quo codices Tibulli et cetera excerpta. ad confirmandum hoc iudicium iam sic ut a primo excerptore conscripta esse credo illa proponere excerpta liceat.

ALBII TIBVLLI[5])

Diuitias alius fuluo sibi congerat auro. Et teneat culti iugera multa soli. Me mea paupertas uita traducat inerti. Dum meum assiduo luceat igne focus (I, 1, 1—2, 5—6).
1. Ruber (I, 1, 17.) Jam modo iam possim contentus uiuere paruo (I, 1, 25). At [uos exiguo pecori furesque lupique Parcite. demagno praeda petenda grege (I, 1, 33). Illa docet molli furtim derepere lecto (I, 2, 19). Jam subrepet iners aetas nec amare decebit (I, 1, 71). Celari uult sua furta uenus (I, 2, 34). flebis non tua sunt duro praecordia ferro. Vincta neque intenero stat tibi corde silex (I, 1, 63—64). Nam fuerit quicumque loquax is sanguine natam. Is uenerem erapido sentiet
esse mari (I, 2, 39—40). O fugite tenerae 17. Colu (I, 3. 86).
puerorum credere turbae (I, 4, 9). Versatur celeri fors leuis orbe rotae (I, 5, 70). Vidi iam iuuenem praemeret cum ferior aetas
Merentem stultos praeteriisse dies. tua si 18. Stamina (I, 6, 78).
bona nescis Seruare frustra clauis inest fo- 19. Litia telis (I, 6, 79).
ribus (I, 4, 33—34, 6, 33—34). Statque latus
praefixa ueru (I, 6, 49). Testis arar rhoda- 20. Aquitanas (I, 7, 3).
nusque celer magnusque garonna[6]) Carnutis 21. Jocundos (I, 7, 35).
et flaui caerula limpha liger (I, 7, 11—12).
2. Sontica (I, 8, 51). Bachus et afflictis requiem mortalibus affer 22. Redimita corimbis (I, 7, 45).
(I, 7, 41.)[7]) Sepe solent auro. multa subesse

---

[5]) titulus rubro colore scriptus est.

[6]) prima manu correctum e ‚geronna'.

[7]) **hoc fere loco novam paginam incepisse scriptori conicio.**

mala (I, 9, 18). O miser interii stulte con-
fixus amari nam poteram ad laqueos cautior 16. Sciphus (I, 10, 8).
8. Linter (II, 5, 34). esse tuos (I, 9, 45—46. Spes alit agricolas 15. Pussula (II, 3, 10).
7. Vocales (II, 5, 78). spes sulcis credita ratis Semina quae magno 14. Sero (II, 3, 16).
6. Sopitae (II, 6. 38). foenore reddit ager (II, 6, 21 - 22). Qui 13. Gipsatos (II, 3, 60).
primus caram iuueni carumque puellae Eri-
puit iuuenem ferreus ille fuit (III, 2, 1—2).
Nonopibus mentes hominum curaeque levan-
3. Lidius[8]) aurifer amnis (III, 3, 29). tur. Nec fortuna sua tempora lege gerit
(III, 3, 21—22). Somnia fallaci ludunt teme-
4. Luridus orcus (III, 3, 38). raria nocte. Et pauidas mentes falsa timere
5. Sopierat (III, 4, 19). iubent (III, 4, 7—8). Seuus amor docuit[9])
uerbera posse pati (III, 4, 66)[7]) Quid frau-
dare iuuat uitem crescentibus uuis. Et modo
10. Edera (III, 6, 2). nata mala uellere poma manu (III, 5, 19—20).
Et mihi difficile est imitari gaudia falsa Diffi-
cile est tristi fingere mente locum.[10]) Nec
bene mendaci risus componitur ore. Nec
bene sollicitis ebria uerba sonant (III, 6,
33—36). felix quicumque dolore Alterius
disces posse cauere tuo (III, 6, 43—44).
Conqueror ite ame seria uerba praecor (III,
6, 52). tu uiolente caueto. Ne tibi miranti 12. Vertumnus (IV, 2, 13).
9. Parma (IV, 1, 95.) turpiter arma cadant (IV, 2, 3—4). Nunc 11. Hammatis (IV, 3, 10).
ego te surdis auribus esse uelim (IV, 14, 2).

---

[7]) hoc fere loco novam paginam incepisse scriptori conicio.
[8]) ‚Lidius‘ correctum est ex ‚Jidius.‘
[9]) ‚docu‘ correctum videtur.
[10]) pallido atramento ab altera manu correctum in ‚iocum‘.

Ex hac quam proposui forma primaria quam facile quem in codice Frisingensi legimus ordo evadere potuerit elucet[11]). Sed non solis posterioribus compilatoribus turbati ordinis culpa tribuenda est verum ex parte etiam primo excerptori, cum sententiae quoque bis a volgari discedant ordine: statim enim ab initio ita inter se versus excipiunt I, 1, 33: I, 2, 19: I, 1, 71: I, 2, 34, I, 1, 63—64. sed neglecti ordinis caussa haud scio an indicari queat: excerptor enim cum versum I., 2, 19 scriberet, ‚derepere‘ voce commonitus vocis ‚subreperet‘ quam in versu 71 elegiae prioris modo legerat, etiam hunc versum recepit. mutato vero semel ordine facile fieri potuit, ut etiam sequentes duo loci inverterentur. praeterea illud monendum est, omnes codices integros ita esse comparatos, ut num semper veram ac propriam servaverint versuum seriem iure dubitari possit. alterum exemplum est I, 5, 70, qui locus praecedit superiorem I, 4, 33—34: in qua re animadvertemus cum I, 4, 33—34 artissime coniunctum esse locum I, 6, 33—34, ita ut haud improbabile videatur, excerptorem cum recepto versu I, 5, 70 ad I, 6, 33 pervenisset, recordatum illius loci, quem aliquo sententiarum nexu cohaerere cum I, 6, 33 opinaretur, versus e praecedente elegia cum his carminis sexti dedita opera copulasse. sententiarum igitur ordinis depravati culpam primo excerptori iniungendam esse censeo, ubicunque vero singula verba ordinem volgarem turbant, posteriorum compilatorum ignorantia inculpanda est. ita probabili, ni fallor, ratione si minus ordinem plane restituisse at tamen conturbationis caussam investigasse mihi videor.

---

11) ne eis quibus Muelleri commentatio praesto non est instaurandi eius qui est in codice excerptorum ordinis ansa desit, legitur inter I, 1, 6 et I, 1, 25 ‚Ruber‘, inter III, 2, 2 et III, 3, 21 ‚Sontica‘, inter III, 3, 29 et III, 4, 7 ‚Lidius aurifer amnis, Luridus orcus, Sopierat, Sopitae, Vocales, Linter‘, inter IV, 2, 4 et IV, 14, 2 ‚Parma, Edera, Hammatis,‘ post IV, 14, 2 denique ‚Vertumnus, Gipsatos, Sero, Pussula, Sciphus, Colu, Stamina, Litia telis, Aquitanas, Jocundos, Redimita corimbis‘, ita ut eadem sese excipiant haec vocabula serie, qua numeri adpositi procedunt.

De excerptorum scriptura pauca adicienda videntur: I, 4, 33 et III, 6, 52 legitur apud Muellerum ‚premeret' et ‚precor', excerpta habent ‚praemeret' et ‚praecor', nam nota est ‚prae' vocabuli. fugit porro Muellerum III, 4, 66 in ‚docuit' verbo ‚docu' correctum videri et III, 3, 29 primam manum emendasse ‚Lidius' ex ‚Jidius'. praeterea artissime coniungendi sunt versus I, 4, 35—36 cum I, 6, 33 et III, 6, 34 cum 35—36, quoniam in codice non ea quae alias adhibita est nota rubri coloris dirempti sunt. omisit denique Muellerus I, 2, 34 et 40 ‚uenus' et ‚uenerem' et I, 7, 11—12, ‚arar', ‚rhodanus', ‚liger' parvis litteris principalibus exarata esse et I, 1, 34 ‚demagno', I, 1, 63 ‚intenero', I, 2, 40 ‚erapido', III, 3, 21 ‚nonopibus', III, 6, 52 ‚ame' pro ‚a me' continenti scriptura. quae tametsi minuta omnia et memoratu vix digna videntur, tamen non praetereunda silentio duxi, ut quam planissime ac plenissime de his excerptis constaret.

Jam si traditas a codice Frisingensi lectiones perlustramus, ad

I, 1, 25

Muellerus haec adnotat: „die vom Frising. recipirte lesart ist unstatthaft. der dichter kann doch unmöglich den wunsch aussprechen dasz es ihm verstattet sein möge zufrieden mit wenigem zu leben, da diese genügsamkeit nur in seiner hand nicht in fremder lag, es also seines männlichen entschlusses, nicht irgend wie fremden einflusses bedurfte um voti compos zu werden. ich schreibe: iam mihi, iam possim contentus vivere parvo, indem ich das $\overset{o}{m}$ des Fris. in $\overset{i}{m}$ verändere: möge es vergönnt sein, da mir weniges genügt, *mir* zu leben" — haec mutatio quam ante hos triginta annos iam Schneidewinum in Coniectaneis criticis pag. 146 proposuisse Fleckeisenus monet, tametsi primo adspectu probabilitatis specie non caret, tamen neque necessaria neque satis apta videtur. etenim e tota adparet sententia ‚contentus vivere parvo' nihil aliud significare quam ‚in otio modicis opibus frui'. atqui scripsit poeta hanc elegiam, cum Aquitanico bello confecto ex morbo in Corcyra insula restitutus stipendia equestria maxume sibi invisa modo effugerat. quamquam dena ista stipendia quae

equitibus Polybio teste erant facienda, non cadunt in Tibullum eiusdemque ordinis homines — id quod fugisse vel Dissenium valde miror — tamen Tibullo, qui vix annum in contubernio Messallae militaverat, magno opere timendum erat, ne iterum ad bellum quod tunc in omnibus fere orientis partibus flagrabat evocaretur. quod si fieret, qui licuit poetae contentum vivere parvo? inter armorum strepitum certe non licebat: igitur optumus redditur sensus „könnte ich jetzt, nur jetzt zufrieden mit meinem wenigen leben, fern von krieg und kriegsmärchen“ (v. 26). quam vero Schneidewinus proposuit et Muellerus probavit ‚mihi‘ pro ‚modo‘ lectionem, ideo proba non videtur, quod oratio fit nimis quaesita atque remota a candida Tibulliani sermonis simplicitate. Propertio si vindicaretur, minus fortasse haberet offensionis haec locutio, quam optume convenire Horatii et Senecae epistulis (Hor. epp. I, 18, 107: Senec. epp. V, 6 (47), VI, 3 (55), dial. X, 7, 6) nemo sane diffitebitur: sed de Tibullo valde dubito. neque illud omittendum est, totam elegiam spirare gaudium recuperatae Deliae neque tam sibi quam puellae vivere velle profiteri poetam (cf. v. 57 ss., 69). denique etiam verborum conlocatio ‚modo‘ quam ‚mihi‘ scripturae, ni fallor, magis favet. ceterum alias quoque adhibitam invenies ‚modo‘ apud Tibullum eadem qua nostro loco et significatione (cf. I, 6, 67 et IV, 4, 16) et conlocatione in primi pedis thesi (cf. I, 1, 58: I, 6, 64: I, 6, 67: II, 4, 59: IV, 4, 16: IV, 5, 10). praeterea ut codicis Frisingensis scripturam ‚modo‘ servem, eo magis commoveor, quod nescio an etiam ceterorum excerptorum prima manus ita versum exhibuerit, nam Guyetum ‚ex vestigiis excerptorum Scaligeri‘ protulisse hanc lectionem ‚iam modo iam possum‘ testatur Nic. Heinsius apud Broukhusium p. 443.[12]) ‚modo‘ lectionem etiam ab Hauptio, quem Schneidewini coniecturam non ignorasse certo scio, retentam esse video.

---

[12]) Scaligeri excerpta non ut falso apud Lachmannum aliosque invenitur ‚possum quippe ego iam‘ sed sic ut Nostradamensia ‚quippe ego iam possum‘ habebant Heinsio Scaligeroque ipso testibus.

I., 1, 34.

Optumi codices (Lachm. A. B. c. e.) et excerpta Nostradamensia et Vincentiana consentiunt in scripturam ‚de magno est praeda petenda grege', deteriores nonnulli praebent ‚de magno praeda petenda grege est', Frisingensia denique excerpta ‚est' plane omittunt: de quo cum Muellerus haec adnotet: „ob est vom schreiber des Fris. auf eigene hand weggelassen oder von den übrigen zugesetzt ist, vermag ich nicht zu sagen. . . . im vorliegenden falle wird man einfach dem ältesten zeugen zu folgen haben", equidem revocandam esse rem potius ad usum Tibullianum censeo quam acquiescendum in Frisingensium excerptorum auctoritate. legitur enim ‚est' copula apud Tibullum si recte computavi undeoctogiens, omittitur sexiens I, 4, 23: I, 7, 10 ss.: II, 1, 80: II, 5, 107: IV, 6, 9, s: IV, 13, 11 ss[13]). sed cum omnibus his quibus deest copula locis quasi emphaticam vim ostentari orationis eluceat, in moderato et tranquille ut nostro loco procedente sermone nusquam omnino omissam esse a Tibullo copulam affirmare audeo. itaque quin hic quoque addendum sit ‚est', nequaquam dubito: hoc unum ambiguum puto, quo in loco sit ponendum. nam qui sic ut Broukhusius ad finem hexametri copulam reiecere, bene observatis nituntur, cum poetas dactylicos saepissime ita versus struxisse inveniamus, ut ubicunque in brevem exeunt syllabam, copula in fine ponatur, quo gravior et plenior clausula existat, velut Propertius scripsit, dicite quo portu clausa puella mea est, (I, 8, 24) et ‚per quos saepe mihi credita perfidia est, (I, 15, 34), neve Tibulliana desint exempla cf. I, 6, 3: I, 8, 58: I, 9, 51: I, 10, 4: II, 3, 31: II, 4, 11: II, 4, 33: II, 6, 10: II, 6, 44: IV, 4, 16. attamen praeferenda est duabus de caussis optumorum codicum lectio servata a plerisque editoribus ‚de magno est praeda petenda grege'. praeterquam enim quod Tibullus ubicunque licuit — enotavi duodetriginta exempla — copulam ante caesuram aut penthemi-

---

[13]) de uno loco IV. 2, 23 certi quidquam statuere non licet, quoniam codicum lectiones discordant.

merin aut hepthemimerin collocavit, hic alterum illud accedit, quod ‚magno' vox vi rhetorica effertur eoque aptius ad eam augendam ut assolet subiecta est copula. documento sint pauca exempla, scripsit enim Tibullus: ‚tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos: nunc agna exigui *est* hostia parva soli' I, 1, 21—22: ‚solis aeterna *est* Phoebo Bacchoque iuventa' I, 4, 37: ‚gloria cuique sua *est*' I, 4, 77: ‚lacrimis erit aptius uti si quando fuerit tristior illa tibi. at nunc tota tua *est*' IV, 4, 17—19, denique ‚nec verbis victa patescit ianua sed plena *est* percutienda manu' I, 5, 67—68. qua re dubitari non posse credo, quin hoc uno loco Frisingensia excerpta fide destituta sint, quam vero facile scriptor id quo ‚est' notatur (∽) praeterire potuerit in aperto est.

I, 2, 19.

Frisingensium illud ‚derepere' multo praestantius et efficacius esse quam librorum ‚decedere' nemo profecto non sentit: vere Tibullianum hanc elocutionem prae se ferre colorem adparet e loco huius simillimo I, 8, 59: ‚et possum media quamvis obrepere nocte'.

I, 7, 11.

Codices praeter unum Lachmanni d, in quo ‚Garunna' est, habent ‚Garumna': Muellerum qui lectionem a Frisingensi traditam, Garonna' retineri vult eamque veram esse uno ex Ausonii codice Sangallensi efficere studet, errasse adparebit accuratius rem percensenti.

In inscriptionibus quantum equidem vidi nomen illud non legitur, itaque consulenda est librorum auctoritas. atque primum quidem apud Caesarem, cuius in primi de bello Gallico commentarii capite primo nomen illud ter invenitur, consentiunt fere integerrimi et optumi codices in ‚Garunna' scripturam, nam uno loco quoscunque Nipperdeius optumos habuit codices, Bongarsianus primus, Vossianus primus, Parisinus primus, Egmondanus, Vratislaviensis primus, et praeterea deterioris notae codex Vindobonensis primus exhibent ‚Garunna'. eandem scripturam tuentur et altero loco codd. Bongarsianus, Parisinus primus, Vratislaviensis primus, Vindobonensis primus et tertio eidem praeter Bongarsianum, cum

,Garonna' scripturae in codicibus nec vola sit nec vestigium. apud eundem III, 27 cod. Paris. pr. praebet ,Garunni'. vides igitur Nipperdeium potius inveteratam consuetudinem quam optumorum codicum auctoritatem secutum esse, cum ,Garumna' formam reciperet. praeterea in Pomponii Melae libris cum ter fluminis istius nomen legatur, ter novissimum editorem [14]) ex optumis codicibus, praecipue e codice Vaticano saec. noni vel decimi, ,Garunna' formam restituisse repperi. unus codex Berolinensis sed saec. XV ,Garonna' formam habet. tum apud Plinium in naturali historia IV, 31 § 105 novissime Detlefsenus [15]) ,Garunna' scripsit maxume ut puto Vossiano codice saeculi IX nisus. Ausonii porro codicem Vossianum (epist. 22, 73) ,Garunnae' formam exhibere ipse Muellerus testatur. legitur praeterea hoc vocabulum quinqu iensapud eundem Ausonium, semel apud Ammianum Marcellinum XV, 11, apud Symmachum epist. IX, 88, apud Claudianum in Rufinum II, 113, apud Sidonium Apollinarem XXII, 108 et VII, 395, quorum omnium quae inspexi exemplaria ,Garumna' quidem praebent, sed neque iusto apparatn critico sunt instructa neque iam opus erit horum anquirere scripturas, quia conspirantibus veterum scriptorum optumis et vetustissimis libris absurdum est dubitare, quin propria et vera sit forma ,Garunna', probata etiam Schneidero gram. lat. I, pag. 505, licet repugnante Danvillio [16]) pag. 341. ,u' vocalis in hoc nomine pronuntiatae, non pronuntiatae ,m' consonantis etiam Graeci citentur testes tum Strabonis codices, qui omnes in *Γαρούνας* lectionem consentiunt (cf. Strabo IV, pag. 177, 189, 190, 193, 199) tum Marciani Heracleotae libri, quippe qui praebeant ipsam *Γαρούν*-

---

[14]) Pomponii Melae de chorographia libri tres. ad librorum manu scriptorum fidem edidit notisque criticis instruxit Parthey, Berolini 1867.

[15]) Plinii Secundi naturalis historia ed. Detlefsen, vol. I.—III, Borolini 1866—1868.

[16]) v. Danville, notice sur l'ancienne Gaule. librum mihi ipsum inspicere non contigit, rettulit de eo Silligius ad Plinii nat. hist. IV, 31 § 105.

να formam depravatam a Millero Marciani editore (Paris. 1839) in Γαρούμνα, tum Ptolemaeus Wilbergii (Essendiae 1838) in quem Γαρύνα scripturam receptam video II, 4, quam et ipsam commode ad ‚Garunna‘ formam rediges[17]. ceterum ‚Garumna‘ scriptura quem ad modum orta sit investigare, si quid video, non est difficile. eiusmodi enim nomina, quibus ‚n‘ littera geminata ‚u‘ vocalem sequitur, cum in Celtica lingua non rara fuerint — quod quidem facili opera in Caesaris commentariis observabis (cf. Adiatunnus d. b. G III, 22: Conetodunnus VII, 3: Geidunni V, 39) — abhorrent fere, nisi ‚cunnus‘ et plebeia ‚grunnire‘ ‚verecunnus‘ similiaque obicias, a latino sermone: quid igitur mirum, si viri Itali aliive paulo doctiores latinorum vocabulorum maxume usitatorum ‚columna, alumna, aerumna, autumnus‘ similium analogia commoti ‚Garumnam‘ scripsere pro ‚Garunna‘?

Denique ‚Garonna‘ quod scribitur in codice Frisingensi, inde conicias archetypon excerptorum ortum esse in Francici regni aliqua parte eo tempore, cum romanicae linguae iam invaluissent, nam in his saepissime transiisse ‚u‘ vocalem ante consonantes in ‚o‘ ex innumerabilibus constat exemplis.[18] in Gallia certe fuisse pervagatam ‚Garonnam‘ scripturam iam ineunte saeculo quarto comprobare licet ex Itinerario Hierosolymitano[19], quod conscriptum est Constantini Magni tempore ab homine Aquitano, in quo ex Pithoeani codicis omniumque aliorum auctoritate legitur ‚Garonna‘. quam ob rem si quis Ausonium et Symmachum et Sidonium Apollinarem, qui et

---

[17]) de ‚u‘ sermonis latini vacali a Graecis modo in ου modo in υ commutata cf. Corssen, aussprache vocalismus und betonung der lateinischen sprache (Leipzig 1868) tom I, pag. 344 ss. de ‚n‘ liquida inter vocales modo semel posita modo geminata satis erit comparasse graeca γύννις et γύνις, latina ‚Munnius‘ et ‚Munius‘.

[18]) cf. Schuchardt, der vocalismus des vulgärlateins, voll. III. (Leipzig 1866—1868) II, pag. 180, et Diez, grammatik der romanischen sprachen (Bonn 1836) I, pag. 145.

[19]) editum una cum Jtinerario Antonini Augusti a Wesselingio (Amstelaed. 1735) et nuper a Partheio et Pindero (Berol. 1848) pag. 261—290.

ipsi erant Galli saeculi IV et V, iam vocasse ‚Garonnam' contendat, non abnuerim, modo eis ne abutatur ad demonstrandam veterem scripturam latinam.

Ceterum ulterius per medii aevi saecula idem nomen si persequimur, in Gregorium Turonensem saeculi VI scriptorem, cuius in scriptis deciens fluvius ille memoratur, ‚Garonna' recepta est [20]). saeculo insequente legitur quidem in canone de concilio Burdigalensi (circa 662 p. Ch.) publicato a Pardesuso II, pag. 129 ss [21]) ‚Garumna', sed hoc noli praetermittere, expressam esse chartam e codicis antiqui apographo ad Baluzium misso, quod minume accurate perscriptum esse adnotat Pardessus. Optumus vero usitatae in Gallia ‚Garonna' scripturae testis videtur alia charta apud Pardesusum II pag. 184 ss. cum enim initio eius bis legatur ‚Garumna', postea ter ‚Garona' (quod parum distare a ‚Garonna' liquet), eum qui descripsit vel qui edidit primo archetypi ‚Garonnam' vel ‚Garonam' in volgarem mutasse ‚Garumnam' formam, deinde vero cum iterum iterumque eisdem litteris perscriptam videret, obstupefactum corrigendo abstinuisse in aperto est. annales S. Amandi ante saec. VIII conscripti et Petaviani qui paulo recentiorem referunt originem [22]) a Chesnio editi, a Pertzio repetiti in Monumentis Germaniae ‚Garonnam' exhibent (cf. Pertz. l. c. I, p. 12 et 13). eandem formam tenent saeculi octavi annales Laurissenses et Einhardi tribus locis (Pertz. l. c. I, p. 144, 146, 147) ubi omnes conspirant codices excepto uno Parisino qui semel ‚Garonam', et uno Hannoverano qui semel ‚Garongam' praebet. iam saeculum IX ingressi ‚Garonnam' legimus pri-

---

[20]) exemplari utebar eo quod Mignius curavit in patrologiae tomo LXXI (Lutetiae 1849). de codicibus ‚venerandae antiquitatis' cf. ibidem praef. p. 97.

[21]) Diplomata, chartae, epistolae, leges ed. Pardessus. Voll. II (Lutetiae Par. 1849). hunc librum similesque ut in meum usum possem convertere, vv. ill. Hirschii et Caroli de Noordeni beneficio contigit, quibus gratias quam maxumas hoc loco profiteri liceat.

[22]) cf. Wattenbach, deutschlands geschichtsquellen im mittelalter (Berlin 1866) p. 101.

mum in Einhardi annalibus ad annum 816 ex omnium librorum consensu (cf. Pertz. l. c. I, pag. 203), quamquam in eorundem manuscriptis nonnullis in additamento ad annum 828 ‚Garumna' extat (Pertz. l. c. I, pag. 218). tum in Einhardi vita Caroli Magni cap. 5 Parisinus codex saec. XI ‚Garonnam' habet, Vindobonensis saec. XII et Parisinus saec. XIII ‚Garomnam', Florentinus saec. XI et Parisinus saec. XV Garonam': Pertzius (l. c. I, pag. 445) recte recepit ‚Garonnam'. in annalibus Enhardi Fuldensibus item in ‚Garonnam' conspirant libri (Pertz. I, pag. 344). deinde chronici Moisiacensis e codice regio Aniacensi saec. IX aut X aliisque rursum prodiit ‚Garonna' (cf. Pertz. I pag. 291), quam formam exhibent etiam libri Vitae Hludovici cap. 2 et 15 (cf. Pertz. II, pag. 607 et 614) annalesque saeculo decimo scripti duobus locis (Pertz 1, pag. 325 et 335) cf. etiam Bouquetium VII, pag. 353.[23]) denique ne saeculi undecimi, quo excerpta Frisingensia orta sunt, exemplum desit ‚Garonna' legitur in ‚Parte vitae Abbonis Floriacensis auctore Aimonio Floriacensi' teste Bouquetio X, pag. 338.

Quamquam igitur tanta locupletissimorum testium multitudine constat de ‚Garonna' scriptura a Gallis et Germanis usurpata, tamen non adeo oblitterata erat prisca ‚Garunna', ut non in Francici quoque regni monumentis inveniretur: eam enim in annalibus Laurissensibus minoribus conscriptis saeculo VIII testatur codex olim Fuldensis iam Vindobonensis saec. IX ineuntis (cf. Pertz. l c. I, pag. 114), et bis in Richeri historiarum libro I, 2 et IV, 18 (cf. Pertz. l. c. III, pag. 569 et 635) autographon Richeri. postremo non praeteribo silentio e codice saec. XI Pertzium (l. c. II, pag. 202) in ‚Gestis Abbatum Fontanellensium' recepisse ‚Garomnam', in ‚Diplomatis Ludovici Pii imperatoris' (apud Bouquetium V, p. 558) legi ‚Garonam', denique annales Bertinianos (cf. Pertz. l. c. I, pag. 441 et Bouquet. VII., pag. 63) saec. IX praebere ‚Garondam' scripturam, quam etiam in Symmachi exemplari nescio

[23]) Recueil des historiens des Gaules et de France par Bouquet.

quo reperiri adnotat Ukertus[24]) II, 2, pag. 14 not. 2, hanc quidem ex ‚Garonna' contraria ratione natam ac ‚verecunnum' ex ‚verecundo'.

Tibullo igitur restituendum censeo ‚Garunna'.

IV, 2, 13: IV, 3, 10.

Codicis Frisingensis ‚Vertūnus' et ‚Hāmatis' scripturis ‚u' et ‚a' vocalium productionem significari statuit Muellerus: sed quoniam ‚vertunus' pro ‚vertumnus' nusquam, ni fallor, reperitur, at ‚hammatus, hammare' simm. saepius (cf. ut exemplum habeas Pauli excerpta e Festo ed. Lindemanni pag. 76) non video, cur lineola illa negemus ‚m' litteram notari ut sexcentiens, cf. in ipsis excerptis III, 3, 21 ‚tēpora', III, 4, 7 ‚sōnia', alia.

III, 3, 10.

Codices omnes habent ‚pustula', sola excerpta Frisingensia ‚pussula', in aliorum libris praeterea tertia est scriptura ‚pusula': iam si quaeritur Tibullo quae sit vindicanda, redeamus necesse est ad historiam huius vocabuli. quod cum Curtius in libro suo de etymologia graeca II, pag. 91 composuerit cum graecis istis *φῦσα φυσάω φύσημα*, Pottius in disquisitionibus etymologicis I, pag. 263 rectius, ni fallor, de radice ‚puj' i. e. ‚foetere' derivatum esse contendit[25]). est igitur eadem radix primaria quae graeco *πῦον*, latinis ‚pus, putere, putidus' subiecta est. iam ‚pustula' vox composita est radice ‚pus' et ‚tula' suffixo, adsimilabatur autem suffixi prima littera praecedenti ‚s', ut in participio ‚comesto comesso' multisque aliis, deinde altera ‚s' exterebatur, ut in ‚comeso'. ‚pusula' igitur orta est e ‚pustula' ut ‚censor' e ‚censtore' (cf. oscum ‚censtur'), mediaque erat ‚pussula', ut inter ‚ustum' et ‚usum' medius est ‚ussus'.

Iam quae fuerit in usu forma rei publicae liberae temporibus, tametsi certis documentis enucleari non posse videtur,

---

[24]) geographie der griechen und römer von Fr. A. Ukert, Weimar 1832. in Pareano est ‚Garumnae' ut supra commemoravimus, in eo quod Jac. Lectius a. 1598 edidit iam ab Hirschio v. ill. comperi ‚Garundae' legi.

[25]) cf. Corssen, kritische beiträge, Leipzig 1863, pag. 460.

quia nullum vocabuli exemplum novi, tamen quin antiqua illa ‚pustula' fuerit praecipue, dubitari vix potest. certe Vitruvium Tibulli aequalem scripsisse ‚pustulas' (VII, 2, 1) librorum auctoritate satis constat, cum in editionibus Mariniana et Roseana[26]) discrepantia nulla adnotata est. Tiberio imperante Celsus in libris de medicina quinquiens (II, 1: V, 28, 15: V, 28, 16: V, 26, 31: III, 22) vocabulo illo usus est, quibus omnibus locis optumum et antiquissimum codicem Vaticanum ‚pusula' pro ‚pustula', alios duos virtute vix inferiores fere semper ‚pusula', ceteros codices et editiones modo ‚pustula' modo ‚pusula' exhibere Darembergius dixit in editione sua (Lipsiae 1859) pag. XVII. item ‚pusula' scripturam in Columellae libro VII, 5, § 16 et 17 restitutam video a Schneidero in editionis scriptorum rei rustic. tomo II, pag. 361 s. deinde Senecae altero quidem loco ep. 72, 5 Fickertus[27]) ‚pustula' tribuit (habet autem cod. Parisinus no. 8658 saec. X ‚usula'), at altero de ira III, 43, 4 Senecam scripsisse ‚pusulam' vel verborum ‚pusulam' et ‚pusilli' ludicra comparatio ostendit. tum e Plinii naturali historia viginti duos enotavi locos, quibus omnibus e Silligiano apparatu legitumam scripturam esse ‚pusula' efficitur, quam Detlefsenus recepit nulla adiecta discrepantia. deinde Martialis in epigrammaton libris vocabulum id legitur VII, 86, 7: VIII, 51, 6: XI, 98: XIV, 167. Schneidewinus semel quidem (XIV, 167) ex optumis libris et maxume e Thuaneo ‚pusulam' recepit, reliquis tribus locis ‚pustula' et ‚pustulati' scripturam proposuit. ceterum quae in Senecae et Martialis codicibus nonnullis legitur forma ‚punsula' redigenda videtur ad ‚pussula' vel ‚pusula' utpote prava analogia ‚formonsula formossula formosula' similiumve vocabulorum nata. Suetonii in Nerone cap. 44 C. L. Rothius ‚pustulatum' scripsit, contra in Digestis XIX, 2, 31 in Alfeni expositione a Paulo epitomata Mommsenus e

---

[26]) Vitruvii de architectura libri decem, edd. Rose et Mueller-Struebing, Lipsiae 1867.

[27]) L. Annaei Senecae opera, rec. C. L. Fickert, voll. 3, Lipsiae 1842.

codicibus Florentino et Parisino no. 4450 saec. XI exeuntis vel incipientis XII ‚pusulatum'. Festus grammaticus aut potius excerptor eius Paulus in voce ‚hetta' secundum Lindemanni codices ‚pusulae' dedit. Tertullianus [28]) de cultu fem. I, 6 ‚pustulat' verbum videtur posuisse, quod librariorum errore in ‚postulat' abiit. de Caelio Aureliano (Acut. III, 16 et Tard. V, 1, med.) mihi nihil constat. grammaticorum et glossarum earum quas consulere potui a Labbaeo, Maio, Hildebrandio editarum testimoniis destituti sumus, si quidem ego in his hoc vocabulum non repperi. in Cangiano mediae et infimae latinitatis glossario ex Alexandri Iatrosophistae passion. lib. I. 99 ‚pustellosas' et ex Mario Aventicense ‚pustula' adfertur, Gregorius autem Turonensis in ‚historia Francorum' ter (V, 10: VI, 8: VI, 14) et semel in libri ‚de gloria Confessorum' cap. 24 ‚pusulam' scripsit, hanc enim formam plurumi codices habere dicuntur, alteram editiones. sed quod additur apud Mignium (l. c. p. 325) ‚pustulas' proprie esse tumores seu vesiculas in cute, ‚pusulas' vero morbi genus volgo ‚sacrum ignem' dictum, et argutius fictum est nec exemplis supra prolatis comprobatum nec ab ipso editore constanter observatum. immo utramque scripturam sine ullo significationis discrimine inde ab Augustea aetate usque ad extrema medii aevi tempora in usu fuisse patet, primo autem post Christum saeculo maxume hanc molliorem quae ‚t' consonante caret. denique ne recentia desideres exempla ‚Macer de herbis' a. 1394, ‚Vocabularius rerum' a. 1420, ‚Glossarium saxico-latinum' a. 1425, ‚Gemma Gemmarum' a. 1512—18 formam ‚st' litteris perscriptam habent, H. Junii ‚Nomenclator' (Antverp. 1538) et Kirschii ‚Cornucopia' (Norimb. 1713) ‚pusula'. [29])

Optume vero, ut ad Tibullum tandem redeamus, convenit Frisingensis codicis scriptura ‚pussula' cum ei aetati qua ‚pusula' frequentari coeperat prae ‚pustula' tum versui poetae

---

[28]) Tertulliani opera omnia rec. Franc. Oehler, Lipsiae 1854.

[29]) cf. Glossarium latino-germanicum mediae et infimae aetatis, ed. L. Diefenbach (Francofurti a. M. 1857) pag. 474.

ipsi, nam quod ‚t' littera quater praeterea in pentametro continetur, multo suavius et venustius, ni fallor, numeri defluunt sic: ‚laederet et teneras pussula rupta manus', id quod tam subtilis artis poetam quam Tibullus erat vix credas neglexisse.

Elucet igitur vel in rebus satis pusillis eximia excerptorum Frisingensium virtus ita ut prorsum non graver Muellero assentiri fluxisse ea contendenti e codice qui non dispar fuerit auctoritate Cuiaciani truncati.

II.

De ceterorum excerptorum fontibus, cognatione, virtute.

Codex Nostradamensis, quem Florilegium quoque Parisinum vocant, consensu virorum in bibliotheca Parisina versatorum Quicherati, Guessardi, L. Delislii, Ern. Michelauti exaratus initio saeculi XIII (cf. Philolog. XVII pag. 342) continet selectos flosculos poeticos aut proverbiales e Prudentio, Claudiano, Ovidio, Horatio, Iuvenali, Persio, Martiali, Petronio, Vergilii culice, poemate de laude Pisonis, Terentio, Plauti Aulularia et inter Ovidiana per paginarum columnas quas dicunt septem e Tibullo, praeterea philosophicos e Seneca et Ciceronis de amicitia, de senectute, Tusculanis disputationibus, rhetoricos grammaticos metricos e Gellio, Macrobio, Sidonio, Cassiodoro, historicos denique e Caesare, Sallustio, Suetonio. Tibullianorum excerptorum quoniam Woelfflinus tantum discrepantes ab editione Rossbachiana (anni 1855) scripturas publicavit ego hic integra excerpta perscribam[30]) quo facilius ab omnibus cognoscatur, quantopere a volgari codicum memoria discedant[31])

[30]) versus a Vincentio quoque excerptos asterisco praeposito insignivi: postposito notavi asterisco quos Scaliger excerptis suis infuisse memorat.

[31]) quae scripturae cum codicibus discrepant litteris obliquis significatae sunt.

Tibullus de felicitate pauperis uitae.

* Me mea paupertas *vita* traducat inerti
* Dum meus *exiguo* luceat igne focus. *
Ipse *feram* teneras maturo tempore vites
Rusticus et facili grandia poma manu:
Nec spes destituat, sed frugum semper acervos
Praebeat et pleno pingua musta lacu. (I, 1, 5—10)[32]

Quippe ego iam possum contentus vivere parvo *
Nec semper longae deditus esse viae,
Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra
Arboris ad rivos praetereuntis aquae.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse *bidentem*
Aut stimulo tardos increpuisse boves,
Non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
Desertum oblita matre referre domum.
* At [33]) vos exiguo pecori, furesque lupique
* Parcite: de magno est praeda petenda grege. (I, 1, 25—34)

Vos quoque adeste dei nec vos e paupere mensa *
Dona nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto.
Non ego divitias patrum fructus*ve* requiro,
Quos tulit antiquo condita messis avo:
Parva satis est *uno* requiescere lecto
Scilicet et solito membra levare toro. *
Quam iuvat immites ventos audire cubantem
Et dominam tenero detinuisse sinu
Et gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster,
Securum som*p*nos *imbre* iuvante sequi. *
Hoc mihi contingat: sit dives *rure* furorem *
Qui maris et coeli nubila ferre potest. * (I, 1, 37—50)

---

[32]) excc. Vinc. et Scal. habebant etiam I, 1, 1—4.
[33]) excc. Vinc. ‚et'.

In eodem.

Nec amare decebit
Dicere nec cano blanditias *capite.*
Iam veniet tenebris Mors adoperta caput
Iam surrepet iners aetas: vos signa tubaeque
Ite procul, cupidis vulnera ferte viris,
Ferte et opes: ego composito securus acervo
Despiciam dites despiciamque famem. (I, 1, 71, 72, 70, 71, 75—78)

Non ego si merui dubitem procumbere templis
Et miserum sancto tundere poste caput.
Qui nimium laetus rides mala nostra caveto
Mox tibi *et iratus* saeviet usque deus.
* Vidi ego qui *miseros iuvenum dampnasset* amores
* Post Veneris vinclis subdere colla senem
* Et sibi blanditias tremula componere voce
* Et manibus canas[34]) fingere velle comas:
Stare nec ante fores puduit caraeve puellae
Ancillam medio detenuisse foro.
Hunc puer, hunc iuvenis turba *circumdedit* arcta
Respuit in molles et sibi quisque sinus. (I, 2, 83, 86—96)

In eodem de locis quietis in inferno.

Hic choreae cantusque vigent, passimque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves,
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis. (I, 3, 59—62)

At scelerata iacet sedes *sub* nocte profunda
Abdita, quam *circa* flumina nigra sonant:
Tesiphoneque inpexa feros pro crinibus angues
Saevit, et huc illuc impia turba *iacet*:
Tunc niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet et aeratas excubat ante fores. (I, 3, 67—72)

[34]) excc. Vinc. ‚cavas‘.

In eodem quomodo castitas conservanda sit coniugatis mulieribus.

* *Casta precor coniunx* maneas, sanctique pudoris
* Assideat[35]) custos sedula semper anus.
Haec tibi fabellas referat positaque lucerna
Deducat plena stamina longa colo,
At circa gravibus pensis affixa puella
Paulatim som*p*no fessa *remittit* opus. (I, 3, 83—88)

Longa dies homini docuit parere leones
Longa dies molli saxa peredit aqua:
Annus in apricis maturat collibus uvas,
Annus agit certa lucida signa vice. (I, 4, 17—20)

Quam cito purpureos deperdit terra colores,
Quam cito formosas populus alta comes[36]). (I, 4, 29—30)

Gloria cuique sua est. (I, 4, 77)

Pauper erit praesto *semper te* pauper adibit *
Primus et in *duro lumine*[37]) *fixus erit.* *
Pauper in *augusto* fidus comes agmine turbae
Subicietque manus efficietque viam. (I, 5, 61—64)

* *Ne*[38]) saevo sis casta metu sed mente fideli. (I, 6, 75)

* Versatur sceleri *sors* levis orbe *cito.* * (I, 5, 70)

In eodem ad annum luxuriosum[39]) et quaerentem placere.

Quid tibi nunc *prodest* molles coluisse capillos
Saepe *et* mutatas disposuisse comas,

[35]) Vinc. excc. ‚adsiderat.‘
[36]) manu secunda correctum in ‚comas.‘
[37]) Scal. excc. ‚limine.‘
[38]) Vinc. excc. ‚nec.‘
[39]) lege ‚anum luxuriosam‘.

Quid fuco[40]) splendente comas ornare, quid ungues*
  Artificis docta subsecuisse manu.
Frustra iam vestes, frustra mutantur amictus,
  Ansaque compressos *colligat* arcta pedes. (I, 8, 9—14)

* *Nunc* studium formae est: coma *nunc* mutatur ut[41]) annos
  * Dissimulet viridi cortice tincta[42]) nucis:
* Tollere *nunc* cura est albos a stirpe capillos.[43])
(I, 8, 43—45)

Ha miser *est si* quis primo periuria celat
  Sera tamen tacitis Poena venit pedibus. (I, 9, 3—4)

Lucra petens habili tauros adiungit aratro
  Et durum terrae rusticus urget opus,
Lucra petituras freta per parentia ventis
  Ducunt instabiles sidera certa rates. (I, 9, 7—10)

* Ne[44]) tibi *celandi spes* sit peccare paranti: *
  * *Est* deus, occultos qui *vetat* esse dolos. *
Ipse deus tacito permisit *lingua* ministro
  Ederet ut multo libera verba mero:
Ipse deus sompno domitos emittere vocem
  Cogit et *invictos* facta tegenda loqui. (I, 9, 23—28)

* Sit procul *a nobis, formam* cui vendere cura est. *[43])
(I, 9, 51)

* Quis[45]) fuit horrendos primus qui protulit enses
  * Quam ferus et vere ferreus ille fuit.

---

[40]) Scal. excc ‚succo'.
[41]) Vinc. excc. ‚in'.
[42]) Vinc. excc, ‚iuncta'.
[43]) Vincentii excerpta praebent etiam sequentem versum.
[44]) Scal. excc. ‚nec'.
[45]) Vinc. excc. ‚qui'.

Tum caedes hominum generi tum proelia nata
  _Et_ brevior dirae mortis aperta via est.
Forsan et ille nichil meruit: nos ad mala nostra *
  Vertimus in saevas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitium est auri. nec bella fuerunt
  Faginus _aptabat_ cum ciphus ante _merum._
Non arces, non vallus erat som_p_numque petebat
  Securus varias dux gregis inter oves. (I, 10, 1—10)

* Quis furor est atram bellis arcessere mortem.
  * Imminet et tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta, sed audax
  Cerberus et Stygiae navita _pauppis_ aquae:
Illic _perscissis_ genis ustoquo capillo_s_
  Errat ad obscuros pallida turba lacus.
* Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
  * _Occulit_ in parva pigra senecta casa.
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos
  Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
  Temporis et prisci facta referre senem.
Interea pax arva colat. Pax candida primum
Pax aluit vites et succos condidit uvae
  Funderet ut nato testa paterna merum:
Pace bidens _nomenque_[46]) _nitet,_ at tristia duri*
  Militis in tenebris occupat arma situs.
(I, 10, 33—50 om. v. 46)

In secundo de reverentia exhibenda festis diebus.

* Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
  * Et grave suspenso vomere cesset opus.
* Solvite _vincla_[47]) iugis: nunc ad praesepia debent
  * Plena coronato _vertice stare boves._ *

---

[46]) Scal. excc. ‚vomerque'.
[47]) Vinc. excc. ‚vincula'.

* Omnia sunt operata deo: non audeat ulla
  * Lanificam pensis imposuisse manum.
* Vos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris
  * Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis: pura cum *mente* venite
  Et manibus puris sumite fontis aquam. (II, 1, 5—14)

In eodem de his qui festis diebus operam dant.

* Vina diem *celebrant* nec festa luce madere
  * *Eest*[48] rubor, errantes et male ferre pedes.
(II, 1, 29–30)

In eodem quod rustica vita potius sit optanda.

Rura *colis* rurisque deos. his vita magistris
  Desuevit querna pellere glande famem:
Illi compositis primum docuere tegellis[49]
  Exiguam viridi fronde operire domum,
Illi etiam tauros primi docuisse feruntur
  Servitium et plaustro supposuisse rotam.
Tum victus abiere feri *cum* consita pomus,
  Tum bibit irriguas fertilis *ortus* aquas,
Aurea *tum* pressos pedibus dedit uva liquores
  * Mixtaque securo est[50] sobria lympha mero.
Rura ferunt messes, calidi cum sideris aestu
  Deponit flavas annua terra comas.
Rura levis verno flores apis *ingerit* alveo
  Compleat ut dulci sedula melle favos. (II, 1, 37—50)

Accedit tacitis fulvis circumdatus alis
  Somnus et incerto Somnia nigra pede. (II, 1, 89—90).

Te tibi quaesieris totumque per orbem
  *M*ortis[51] arat valido rusticus arva bove

---

[48] Vinc. excc. ‚est‘.
[49] manu secunda correct. in ‚tigillis‘.
[50] Vincentius altero loco ‚est‘ omisit
[51] correctum in ‚fortis‘.

Nec tibi gemmarum quicquid felicibus *Indis*
Nascitur, Eoi qua maris unda rubet. (II, 2, 13—16)

In eodem quae mala secum ferant divitiae.

Ferrea non *Pacem* sed praedam saecula laudant:
Praeda tamen multis est *adoperta* malis.
Praeda feras acies cinxit discordibus armis:
Hinc cruor, hinc caedes *morsque propinqua* venit.*
Praeda vago iussit geminare pericula ponto,
*Cum tribuit dubiae bellica rostra rati.**
Praedator cupit immensos obsidere campos
Ut multa innumera iugera pascat ove.*
Plaudat et indomitum moles mare, lentus ut intra
Negligat hibernas pisces[52]) adesse minas.
At *mihi* laeta trahant Samiae *coniugia* testae*
Fictaque *cum mana* lubrica terra rota. (II, 3, 35—48,
omm. vv. 43—44)

* Nunc et amara dies et noctis amarior umbra est:
* Omnia *nunc* tristi tempora felle madent. (II, 4, 11—12)

O pereat, quicunque legit viridesque smaragdos
Et niveam *tireo*[53]) murice tingit ovem.
* Praebet avaritiae causas *pretiosa potentum*
* Vestis et e rubro lucida concha mari. (II, 4, 27—30)

In eodem quae sint commoda spei.

* *Finiret multi leto mala:* credula vitam*
* Spes fovet et *melius* cras fore semper *agit*[54])*
Spes alit agricolas, Spes sulcis credit aratis
Semina, quae magno fenore reddat ager:
Haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces,
Cum tenues hamos abdidit ante cibus:
Spes etiam valida solatur compede vinctum
Crura sonant ferro, sed canit inter opus. (II, 6, 19—26)

---

[52]) correctum in ‚piscis'.
[53]) correctum in ‚tirio'.
[54]) Vinc. excc. ‚ait'.

Pretio capiuntur *avari.* (III, 1, 7)

* Frangit fortia corda dolor. (III, 2, 6)

In eodem de contemptu divitiarum.

* Quid *prodesse potest pondus grave*[55] divitis auri * 11
* Arvaque[56] si *fundant* pinguia mille boves.
* Quidve[57] domus prodest Phrygiis innixa colum*p*nis 13
* Aurataeque trabes marmoreumque solum. 16
Quidve in *iuntheo* legitur quae littore concha
Tinctaque Sidonio murice lana iuvat,
Et quae praeterea populus miratur in illis *
Invidia est: falso plurima vulgus amat. * 20
Non opibus mentes hominum curaeque *lavantur*:
Nam Fortuna sua tempora lege *regit.* (III, 3, 11—22,
omm. vv. 14—15)
* *Non* me regna iuvant non lidius[58] aurifer[59] amnis
* Nec quas terrarum sustinet orbis opes.
* Haec[60] alii *cupiunt,* liceat mihi paupere cultu
* Securo *vitae munere* posse frui. (III, 3, 29—32)

* Som*p*nia fallaci ludunt temeraria nocte
* Et pavidas mentes falsa timere iubent.[61] (III, 4, 7—8)

* Vincuntur molli pectora dura prece. (III, 4, 76)

Mentis sopor utilis aegrae est. (III, 4, 19)

Mens est mutabilis illis. * (III, 4, 63)

---

55) Scal. excc. ‚mihi‘.
56) Vinc. excc. ‚prataque‘
57) Vinc. excc. ‚quidque‘.
58) Vinc. excc. ‚Lydius‘.
59) Vinc. excc. ‚aurifex‘.
60) Vinc. excc. ‚hoc‘.
61) Vinc. excc. ‚iubentur‘.

* *Sollicitant pectus facta nefanda reum.* (III, 5, 12)

* *Saepe quidem* cani nigros laesere capillos
* Nec[62]) venit *tacito* curva senecta pede. (III, 5, 15—16)

Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis
Et modo nata mala vellere poma manu. (III, 5, 19—20)

* Ite procul *curae durum genus,* ite labores. (III, 6, 7)

Ille fecit dites animos deus, ille *feroces*
Vicit et indomitis mollia corda dedit. (III, 6, 13 et 16)

* *Heu quam* difficile est imitari[63]) gaudia falsa,
* Difficile est tristi fingere mente *locum*[64])
* *Non* bene mendaci risus componitur ore,
* *Non* bene sollicitis ebria verba sonant. (III, 6, 33—36)

* Felix, quicunque dolore*
* Alterius *didicit* posse cavere suum.* (III, 6, 43—44)

In eodem ad iuvenes de insidiis meretricum.

* *Ne* vos[65]) *decipiant* pendentia brachia collo
* *Nec capiat* blanda sordida lingua prece. (III, 6, 45—46)

In panegyrico Mesalae.

Non tua maiorum contenta est gloria fama 29
Quamvis antiquae superent praeconia gentis 28
Nec quaeris quid quaque index sub imgine dicat, 30
Vincere sed priscos generis contendis honores, 31
Quam tibi maiores maius decus ipse futuris. 32
(IV, 1, 28—32)

---

[62]) Vinc. excc. ‚saepe‘.
[63]) Vinc. excc. ‚mutare‘.
[64]) Vincent. excc. ‚iocum‘.
[65]) Vinc. excc. ‚nos‘.

Iam seu diversi fremat inconstantia vulgi
Nemo magis sedare queat: seu iudicis ira
Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis. (IV, 1, 45—47)

Nec quisquam maiora gerit castrisve forove
Nec tamen haec aut haec tibi laus maiorve minorve,
Iusta pari premitur veluti cum pondere libra,
Prona nec hac plus parte sedet nec surgit ab illa,
Sed magis equitum si quando onus urget utrinque
Instabilis natat alterno depressior orbe. (IV, 1, 39—44)

Nam te non alius belli tenet aptius artes,
Qua deceat tutam castris *praedicere* fossam,
Qualiter adversos hosti defigere nervos,
Quemve locum ducto melius sit claudere vallo,
Montibus ut dulces erumpant terra liquores,
Ut *stabilisque* tuis aditus sit et arduus hosti,
Laudis *ut* assiduo vigeat certamine miles.
Quis melius tardamve sudem celeremve sagittam
Miserit aut lento perfregerit obvia pilo?
Haut quis equum *celereve arcto* compescere fraeno
Possit et effusas tardo permittere habenas,
Inque vicem modo directo contendere giro,
Quis *parva*,[66]) seu dextra velit seu laeva, tueri,*
Sive hac sive illac *veniat gravis* impetus hastae*
Amplior, aut signata cita loca tangere funda?*
Iam simul *adversi veniant* certamina Martis
Adversisque parent acies concurrere signis
Tum tibi non desit faciem componere pugnae,
Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen,
Rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo,
Seu libeat duplicem *seu* vinctum cernere Martem,

---

[66]) Scal. excc. ‚parma'.

Dexter uti laevum teneat dextrumque sinister
Miles sitque duplex gemini victoria casus.[67])
(IV, 1, 82—105)

Haec sunt Nostradamensis codicis excerpta Tibulliana: etiam alius codex Parisiensis no. 13582 saeculi XIII aut ineuntis XIV praeter Statii Thebaidos, Lucani, Horatii, Iuvenalis, Claudiani, Prudentii, Ovidii excerpta Tibulli continet. sed quoniam nullus in hoc legitur versus, quin eundem Nostradamensis codex habeat, amboque vel ineptiis aut erroribus librariorum valde consentiunt (velut III, 6, 37 ‚locum‘ pro ‚iocum‘), non errasse videtur Woelfflinus, cum de communi horum excerptorum fonte dubitari non posse contenderet.[68]) ceterum minume mirabor, si similia atque gemina horum excerpta plura in lucem protrahentur, atque certe in uno codice Parisino praeter eum quem modo dixi, horum simillima extare scio.

Iam de fontibus variorum excerptorum et cognatione quae inter ea intercedat quaestionem paulo fusius tractemus, cum perpauca adhuc aut minume probabilia de ea prolata esse invenerim. Richterus enim in dissertatione ‚de Vincentii Bellovacensis excerptis Tibullianis‘ (Bonnae 1862) pag. 2 not. „dubitari“ inquit „non potest, quin Lachmannus recte Vincentii et Scaligeri excerpta eadem esse contenderit. nunquam enim in eis scripturis, quas uterque habet uno loco excepto, III, 4, 45 ubi Scaliger ‚non uos decipiant‘, Vincentius spec. doctr. IV, 163 ‚ne nos decipiant‘ citat, quam discrepantiam fortuitam esse apparet, interse discrepant.“[69]) at minume Lachmannus Scaligeri excerpta eadem esse atque Vincentii, immo

[67]) Scaligeri excerpta continebant praeterea IV, 2, 23 et IV, 13, 18, qua de re infra uberius disputatum est.

[68]) uno loco discrepantia inter illos notabilis videtur: I, 2, 87 cod. Par. no. 13582 ‚*sin* nimium laetus‘ habet.

[69]) alteram discrepantiam Richterum fugisse video: III, 3, 11 Scaligeri excerpta praebuere (cf. castigg. p. 165 B.) ‚quid prodesse potest pondus *mihi* divitis auri‘, Vincentius in spec. doctr. bis (VI, 13 et VII, 2) ita scripsit ‚quid prodesse potest pondus *grave* divitis auri‘.

nihil nisi ex eodem fonte utraque fluxisse contendit. [70]) Richterus autem qui Vincentium non excerpta sed codicem Tibulli in manibus habuisse evincere studuit (pag. 14—20), non video quid voluerit nisi hoc, e Vincentio eclogas Scaligeranas fluxisse. cuius tamen error sententiae in propatulo est: Scaliger enim si Vincentiana in manibus habuisset, quo modo ex his adferre potuit, quod non invenitur apud Vincentium? ego vero quindecim notavi locos [71]) qui cum in Scaligeranis excerptis infuerint ipso teste Scaligero, apud Vincentium plane non extant. an plura aliquando Vincentium e codice Tibulli excerpsisse quorum pars ad Scaligerum pervenerit, ad nos non pervenerit temere fingemus? immo alias esse fateamur Scaligeri et Vincentii eclogas: illae quantum e castigationibus ipsius et e Nic. Heinsii notis apud Broukhusium [72]) pag. 442—458 intellegitur, multo erant ampliores quam Vincentianae, neque a recta opinor via declinabis, si numero vix minores fuisse quam codicis Nostradamensis excerpta iudicaveris, quamquam certi quidquam statui non potest, cum Scaliger non omnes enotaverit excerptorum scripturas sed eas tantum quae maxume discreparent. in summa, non fuit Vincentius eclogarum Scaligeri auctor, communem autem utriusque excerptis auctorem fuisse mirificus eorum consensus ostendit.

Iam Vincentium non codice Tibulliano sed excerptis usum esse certa ratione efficitur. nimirum Vincentius et Nostradamensia excerpta plurimis lectionibus congruunt, quae non possunt ad poetae ingenium referri, ne ad inconstantem quidem vel incertam codicum memoriam, sed necessario ad unius operam et consilium excerptoris referendae sunt: velut recte habent codices III, 5, 12 ‚nec cor sollicitant facta nefanda meum', excerptor vero ut quod de uno se dixerat poeta ad omnes cadat ita textum immutavit ‚sollicitant pectus facta nefanda reum', et si plura

[70]) cf. Lachmanni praef. ad Tib. p. VI.

[71]) I, 1, 25: I, 1, 37: I, 1, 48 et 49: I, 1, 50: I, 5, 61—62: I, 10, 5: I, 10, 37: I, 10, 49: II, 3, 35: II, 3, 38: II, 3, 40: II, 3, 42: II, 3, 47: II, 6, 19: III, 3, 20.

[72]) in Tibullo edito Amstelaedami 1708.

vis exempla vide I, 3, 83: I, 9, 51: II, 4, 29: II, 6, 19: III, 3, 11: III, 3, 32. commune utriusque praeterea hoc est, quod quoscunque e libro Tibulli tertio adferunt versus secundo libro adscribunt. discrepantiae autem et rariores et leviores prorsum non obstant quo minus ab eodem utraque excerptore profecta putentur. quod enim I, 1, 33 codex Nostradamensis ‚at' habet, Vincentius ‚et', id ab hoc ita mutatum esse credibile est propter eos quos ipse praeposuerat versus. tum in versu I, 6, 75 quod Vincentius spec. doctr. V, 99 ‚nec' exhibet, florilegium Parisinum ‚ne', idem Vincentius altero loco VII, 3 ‚ne' posuit, consentit igitur cum cod. Nostradamensi. porro Vincentius ut I, 8, 43 ‚in annos' pro ‚ut annos', versu sequente ‚iuncta' pro ‚tincta', I, 10, 1 ‚qui' pro ‚quis', II, 1, 11 ‚procul abesse' pro ‚abesse procul', III, 3, 31 semel ‚hoc' pro ‚haec', III, 6, 33' ‚mutare' pro ‚imitari', scriptor florilegii ut III, 5, 16 ‚nec' pro ‚saepe', de quo cf. pag. 46, III, 6, 34 ‚locum' pro ‚iocum' scripserit, denique ut Vincentius II, 1, 30 ‚est' omiserit, quis est quin tam fortuitis mendis vel erroribus factum esse intellegat, quam hoc, ut editus a Kobergero a 1486 Vincentius I, 8, 45 ‚e stirpe capillos' praebeat pro ‚a' praepositione a codicibus et florilegio Parisino et Vincentii editione Menteliana tradita. vix addi opus est, etiam inter Scaligerana et Nostradamensia excerpta quae sunt discrepantias (cf. I, 5, 62: I, 8, 11: I, 9, 23: I, 10, 49: III, 3, 11: IV, 1, 95) ut levissimas ita casu exortas esse fac igitur Vincentium sumpta ex integro Tibulli codice excerpta ipsum composuisse, quae Richteri est sententia, sequitur ut Nostradamenses eclogas e Vincentianis originem duxisse arbitremur, congruens enim quam significavi excerptionis interpolationisque ratio credere nos vetat duos homines eodem modo usos codice poetae integro. at vero florilegium Parisinum etiam e quarto Tibulli libro versus adfert, qui apud Vincentium non comparent. accedit alia res non minumi illa quidem momenti. Vincentius enim in speculi doctrinalis libro V et VII complures Tibulli locos eosdem posuit quasi continuos, qui neque ex eodem carmine petiti sunt neque carminum ordinem servant neque ullo nonnunquam sententiarum nexu cohaerent, velut V, 99,

ubi haec leguntur ,casta precor coniunx maneas sanctique pudoris adsiderat' [lege ,adsideat'] ,custos sedula semper anus. nec saevo sis casta metu sed mente fideli. versatur celeri sors levis orbe cito': conflati sunt tres loci, unus I, 3, 83—84, alter I, 6, 75, tertius I, 5, 70. eidem tres loci reperiuntur iterum coniuncti l. c. VII, 3 [73]) qui quaeso hanc versuum commixtionem in qua ne ordo quidem carminum servatus est expediamus, nisi si excerptis Vincentium usum esse statuamus, in quibus singuli loci ordine illo inter se exceperint. quam in rem optume quadrat, quod etiam in Notradamensibus excerptis versus ,nec saevo sis casta metu sed mente fideli' (I, 6, 75) praecedit illi ,versatur celeri sors levis orbe cito' (I, 5, 70). itaque iam non dubito quin eadem inter Tibulliana Vincentii et florilegii Parisini excerpta intercedat necessitudo, quam inter utriusque excerpta Petroniana intercedere constat. Vincentius enim nihil e Petronio adfert, quod non florilegium Parisinum exhibeat, florilegii excerpta Petroniana numero longe sunt copiosiora quam Vincentii, scripturae autem utriusque mirum in modum concordant etiam in corruptelis [74]). ne quis exempla desideret, in cod. Nostr. hi versus leguntur sat. 14 (pag. 15, 7—8, 11 Buech.)

,quid fatiunt leges ubi sola pecunia regnat
aut ubi paupertas uincere nulla potest.
iam nunc iuditium nichil est nisi publica merces'.

Vincentius hos versus itidem scribit

,quid faciunt leges ubi sola pecunia regnat
aut ubi paupertas uincere nulla potest
iam nunc iudicium nihil est nisi publica merces',

codices vero Leidensis et vetustate ac bonitate excellens Bernensis et volgares ita

,quid faciant leges ubi sola pecunia regnat
aut ubi paupertas vincere nulla potest.

---

73) cf. etiam VI, 73, ubi eodem modo Tibulli III, 3, 11—13, 16 et III, 3, 29—32 et III, 4, 7—8 consociantur.

74) cf. Franc. Buecheleri praef. Petron. pag. XXVI—XXXIII.

ergo iudicium nihil est nisi publica merces.'

porro in cod. Nostr. versus sat. 137 (p. 199, 1—2 Buech.) sic leguntur

,Parua loquor. quod uis nummis praebentibus opta
eveniet clausum possidet arca Iovem',

apud Vincentium minuma cum discrepantia sic

,parua loquor. quod uis nummos prebentibus opta
eveniet clausum possidet archa iovem'.

e codicibus autem optumis tales hi versus prodiere

,multa loquor: quod uis, nummis praesentibus opta
et veniet. clausum possidet arca Iovem',

ne multa, ut Buecheleri verbis utar, „clare adparet, quanto opere a Vincentio compilatus liber Petronii congruerit cum florilegio, sive numerum spectas et ordinem excerptorum, sive singulas scripturas.“ neque aliter sese rem habere in Suetonianis utriusque excerptis Rothius in Suetonii praefatione pag. XXXIII ss. ostendit. Vincentius enim in speculi historialis libros VI—X dimidiam fere partem Nostradamensium excerptorum contulit, planeque etiam hic conspirant utrorumque scripturae vel aperte vitiatae. quare valde miror Richterum pag. 20 praepostere ita disputasse: ,perseverandum erit in ea sententia, quam nisi Lachmanno aliter placuisset, vix quisquam deseruisset, excerpta Tibulliana aeque atque omnia reliqua quae citat Vincentius, ab eo ipso profecta esse'. contra enim Rothius l. c. Vincentii et codicis Nostradamensis consensu in eclogis Suetonianis adductus erat, ut Vincentium in conscribendo suo opere usum esse adfirmaret florilegio Parisino, sed pariter ac Richterus erravit. nam quamquam sententia illa, si exempla e Petronio et Tibullo adlata consideramus, probabilitatis specie minume caret, tamen ipsis Tibullianis utriusque excerptis refutatur. etenim si Nostradamensem codicem Vincentius excerpsisset, non Tibullium poetam vocaret (qui error genetivi forma TIBVLLI EXCERPTA natus videtur), cum in illo excerpta ita incipiant ,Tibullus de felicitate pauperis vitae'. praeterea tres Vincentius habet locos (I, 1, 1—4: I, 8, 46: I, 9, 52) a florilegio alienos. luce igitur est clarius hunc ipsum codicem non compilatum esse a Vincentio, etsi ne hoc quidem quem-

quam fugiet, simillimum eius exemplar Vincentio ad manus fuisse.

Ceterum ut Vincentiana ita Nostradamensia quoque excerpta ex excerptis descripta sunt, nam si ipse illius florilegii scriptor hos flosculos e codice integro collegisset, propter eam quam identidem significavimus cognationem et consortionem auctor putandus esset etiam reliquorum excerptorum, atqui non potest auctor esse, quod in Vincentianis excerptis versus insunt quos florilegii scriptor omisit.

Brevi igitur ut complectar de Nostradamensibus et Vincentianis et Scaligeranis excerptis Tibulli quae mihi effici posse videantur, nullum horum exemplar ex integro Tibulli codice compilatum est, sed omnia ex una excerptione deducta sunt: communis est omnium horum fons, quoniam et virtutibus et vitiis egregie conspirant, non eundem esse cum eo e quo codices nostri fluxere e compluribus efficitur discrepantiis: primaria illa excerptio etiam copiosior erat quam excerpta Nostradamensia. Vincentius quibus utebatur exiliora erant quam florilegium Parisinum, id quod non solum Tibullianis sed etiam Petronianis et Suetonianis flosculis comprobatur. Scaligeri eclogae erant ampliores quam quas Vincentius in speculum doctrinale intulit. Vincentium eodem usum esse excerptorum exemplari quo Scaligerum ipsum equidem neque praefracte negare neque pro certo adfirmare ausim[75]).

Extremum est ut de virtute et auctoritate horum excerptorum disseram. cum enim de Frisingensis excerptionis praestantia omnino non dubitem facere cum Muellero, tum de ceteris valde abhorrere ab illius iudicio meum libere profiteor. nam haec excerpta ille tametsi negari non posse concedit locis nonnullis meliores praebere scripturas quam plenos Tibulli codices, tamen in critica factitanda nullius omnino momenti esse adfirmat. videamus igitur primum, quibus ille ad stabiliendam suam sententiam utatur argumentis. postquam

[75]) de duobus locis quibus inter se differre utrosque constat cf. pag. 32.

enim l. c. pag. 74 ss. eam ob caussam Tibulli carmina prae Catullianis et Propertianis saepius esse excerpta ostendit, quod eius poetae exemplaria per priora medii aevi saecula usque ad undecimum fortasse aut ad tertium decimum magis fuerint divolgata, triplicem archetypi Tibulliani usque ad Petrarcae tempora propagationem statuendam esse ait. nam Carolingorum aetate in Gallia extitisse archetypon, quod praeter quattuor libros etiam priapea duo et Domitii Marsi epigramma comprehenderit: ex hoc codice fluxisse primum nono saeculo vel decimo Scaligeri codicem Cuiacianum ‚pervetustum', cuius maxuma pars usque ad III, 4, 65 saeculis insequentibus absumpta sit. praeterea eodem fere tempore ex archetypo alterum expressum esse codicem, in quem priapea illa propter obscenitatem suam non recepta sint, omissum esse in hoc etiam nomen Domitii Marsi, quia librarius verba ‚incipit epigramma Domitii' eorumve similia pro ultimo antecedentis carminis trimetro habuerit, tum saeculo XIV vel XV virum Italum Domitii epigramma reiecisse in finem vitae Tibulli ab ipso concinnatae. huius familiae codicem esse fontem non solum omnium nostrorum codicum, quorum nullus ante XV saeculum scriptus est, sed etiam excerptorum Frisingensium, quae XI saeculo in Germania e libro integro descripta sint. denique archetypon — id quod circiter idem tempus etiam Ovidii carminibus amatoriis acciderit — valde decurtatum esse abscissis libro quarto et appendice: ex huius familiae apographo deinde excerpta cetera omnia duxisse originem, quippe quae ad tres primos pertineant libros, librarium autem eum qui Nostradamensia conscripserit, flosculis illis adiecisse ex integro quodam Tibulli codice alios electos e panegyrico ad Messallam. ita cum primitus codicibus nostris purior et uberior fons ille fluxerit quam his excerptis, tum etiam magis turbari et obrui excerptorum integritatem ac fidem ea re, quod excerptoribus qui sententias e continuitate carminum ereptas ad peculiarem plerumque revocaverint sensum, interpolandi textus et immutandi innumerabiles fuerint caussae, codicum vero scriptoribus nullae. quibus omnibus argumentis effici, excerptorum praeter Frisingensia in critica arte nullam rationem esse habendam,

praesertim cum longe plurimis locis metricas vel grammaticas aut logicas ob caussas fraudis comperta sint. haec fere Muelleri argumentatio, iam audiatur et altera pars. verum est neque quisquam sane infitiabitur, excerptores habuisse cur immutarent versus, librarios non item. sed quod his interpolandi consilium ac ratio non suppetebat, inde nequaquam ni fallor consectarium est, re vera interpolationibus eos abstinuisse, immo codices nostros scatere vitiis et tamquam ulcerosa ac distorta nos membra poetae habere satis constat. ipsi Itali saeculorum XIV et XV quos Muellerus carmina potius alia e Tibullo quam Tibullum ex aliis infecisse contendit, summa in textu restituendo usi sunt licentia, quam quidem minume mirabimur, si qualis tunc fuerit litterarum condicio meminerimus. nam excitatis antiquitatis studiis e longo sopore cum multa monumenta praecipue romana retegerentur et quam celerrime in multitudinem evolgarentur, cumque vix ullum Itali poetam maiore et industria tractarent et ardore amplecterentur quam Tibullum, facilitate eius venusta simplicique in exprimendis animi affectibus veritate delectati, quod elegantia magis venabantur et intellectu facilia adripiebant, quam vera rimabantur vel difficilia perscrutabantur, immensum mendarum et interpolationum numerum non modo reliquerunt sed etiam ultro auxere. silentio praetereo Iohannem Aurispam et Senecam Camertem suis coniecturis librorum lacunas explevisse, nec opus est exponere quotiens codices nostri vel inter se vel a Cuiaciano truncato differant, nec solum singulis verbis sed totis mutatis sententiis, sufficiunt enim pauca exempla a Richtero pag. 71 ss. prolata. missam igitur faciamus codicum integritatem ab Italis studiose servatam quam Muellerus neque mihi persuasit neque fore credo ut cuiquam persuaserit. at excerptores non dubium est quin dedita opera versus immutaverint. concedo, sed hac re parum commoveor: ita enim fere omnes excerptorum immutationes sunt comparatae, ut paulo accuratius consideranti facile et inveniantur et explicentur, id quod de Vincentianis Richterus ostendit pag. 57 ss, de Nostradamensibus ipse infra fusius declarabo. igitur hac in re vereor ne nihil omnino antecellant codices excerptis, quia

utrique interpolationis vestigia prae se ferunt. at meliorem certe originem et auctoritatem codices ea re referunt, quod ex integro archetypo hausti sunt, excerpta autem tunc demum indidem fluxere, cum quarto libro et appendice deperditis iam mutilatus liber et truncatus erat. huic rationi primum id obstat, quod in Nostradamensibus excerptis versus leguntur e quarto corporis Tibulliani libro petiti: nimirum Muelleri de hac excerptorum parte coniectura supra memorata tam commenticia est atque ab omni probabilitatis specie remota, ut prorsum eam praetermittendam esse censeam. quin etiam Scaligeri eclogas versus continuisse quarti libri Tibulliani ipse vir summus ille testis est, quamquam Muellerus hoc rursum elevare studuit[76]). sed omnes eius ratiunculas redargu-

[76]) ipsius verba adponere liceat: „Woelfflin meint a. o. s. 157, dasz Scaligers excerpte auszer den drei ersten büchern auch den panegyricus des Messalla enthalten haetten. zum beweiss dessen führt er an, dasz die lesart IV, 1, 96 ‚sive hac sive illac veniat gravis impetus hastae', die Lachmann wie es scheint als einen schreibfehler in Scaligers castigationes, von dort in den text durch schuld des ersten druckers eingeschlichen bezeichnet, sich in den pariser excerpten finde. möglich dasz Lachmann geirrt, aber ein beweiss für Woeffflins ansicht liegt nicht vor. Scaliger erwähnt zunächst die damals verbreitete interpolation in dem vorhergehenden verse ‚parma seu quis dextra tulit' u. s. w.: dann fährt er nach einigen invectiven gegen die schlechten kritiker also fort: ‚nam ita omnis vetus scriptura eum conceptum habet' und dann folgen die verse 95—97, ganz wie sie bei Lachmann stehen, auszer eben veniat gravis für grandis venit. Scaliger gebraucht ausdrücke wie ‚omnis vetus scriptura' u. dgl. öfter, ohne dasz man dieselben nach dem gebrauch jener zeiten besonders urgieren dürfte oder selbst etwas ganz bestimmtes darunter denken könnte, soviel leuchtet jedoch ein, dasz eine ungenauigkeit, bezüglich ein versehen Scaligers vorliegt. denn unmöglich konnte er, wenn selbst seine excerpte noch den panegyricus umfassten und die bei ihm vorliegende lesart boten, éinen codex im gegensatz zu allen übrigen als ‚omnis vetus scriptura' bezeichnen. vielmehr liegen zwei mittel zur erklärung seines ausdrucks offen. vielleicht fand sich wirklich in Scaligers hss. bezüglich in dem alten Cuiacianus veniat gravis, so dasz Scaliger dann bei seiner summarischen angabe

ere non est difficile. nam quod Lachmannus typothetarum mendo scripturam ,veniat gravis' in editionem Patissonianam inrepsisse opinatus est, eadem scriptura in textu eademque elocutio in adnotationibus editionis alterius Scaligeranae (ex bibliopolio Commeliniano a. 1600) reperitur, quem librum ,auctum et recognitum ab ipso auctore' titulus profitetur [77]. Muellerum autem quod Scaligeri illud ,in omni vetere scriptura' minume ad obrussam esse exigendum ait, ex ipsis Castigationibus refutabis si librum illum pervolveris. etenim Scaliger postquam initio Castigationum praeter Italorum codices, qui omnes recentiorem referant originem, quam ut inter vetustos libros recenseri possint, tria sibi exemplaria in manibus fuisse exposuit, codicem Cuiacianum integrum, qui correctorum temeritate et ipse vitiatus tamen quaedam vetustatis retinuerit vestigia, deinde excerpta pervetusta, denique fragmentum Cuiacianum ,peroptimum et quam emendatissimum', etiam in reliqua operis parte in discernendis vetustis libris et recentioribus tanta utitur diligentia, ut nullo loco incuriae suspicionem moveat. varia quidem eum usurpasse nomina ad subsidia sua critica significanda non nego, sed omnia eiusmodi, ut diligentius perquirenti dubitatio existat nusquam excepto fortasse uno loco (ad IV, 1, 157 ,in duobus

---

wenigstens mit einigem grunde in v. 2 das zeugniss der besten hs. als die allein gültige tradition vorlegen konnte, obschon man heutzutage mit recht ähnliche flüchtigkeiten verpönen würde. doch halte ich es für probabler Lachmann beizustimmen, dasz Scaliger sich verschrieben hat, was um so leichter der fall sein konnte, da veniat gravis sowol wegen des vorhergehenden libeat, velit, als wegen des abgeschmackten grandis der vulgata durchaus notwendig ist, auch nicht einmal das kritische ingenium eines Scaliger dazu gehört um dies zu finden, sondern man diese besserung schon einem variator, bezüglich interpolator des mittelalters zutrauen darf."

[interim postquam diu hoc scripsi in manus pervenit meas C. M. Franckeni commentatio (cf. Fleckeiseni annales 1869 tom. 99 pag. 207—208) qua ex ipsius Scaligeri exemplari asservato in bibliotheca universitatis Leydensis probatur certe Cuiacianum veterem re vera praebuisse ,veniat gravis' (IV, 1, 96)]

77) cf. etiam J. Bernaysi Jos. Justus Scaliger (Berlin 1855) pag. 279.

nostris'). excerpta enim modo ,excerpta' vocat idque permultis locis, modo ,eclogas', velut ad III, 3, 11, modo ,eclogarium', cf. ad III, 6, 45, modo ,veterem librum' cf. ad II, 5, 67, saepe ,priscam scripturam', cf. ad I, 8, 66, vel ,veterem scripturam', cf. ad I, 3, 28: II, 3, 61, vel ,antiquam scripturam' velut ad II, 4, 5: ubicunque vero scriptum est ,liber noster' (velut ad II, 1, 82 et III, 4, 2) vel ,noster' (cf. ad II, 5, 72) intellegendus est Cuiacianus recentior de quo in praefatione plura dixerat. porro alterum Cuiacianum truncatum modo ,optimum fragmentum' vocavit, modo ,optimum codicem' modo ,librum optimum', modo ,fragmentum illud pervetustum' sive ,emendatissimum', modo ,optimam membranam' vel ,scripturam'. recentiores vero Italorum libri ,codicum infimae vetustatis' significatione (cf. ad I, 1, 38: I, 3, 29: IV, 1, 143) a ceteris distinguuntur, quam ob rem ut exemplum habeas, ad IV, 1, 26 legitur ,optimus codex item et illi infimae vetustatis'. de qua tota haec quaestio instituta est, significatio ,omnis vetus scriptura' alias nusquam reperitur, sed bis leguntur simillimae: ad IV, 2, 23 ,veteres omnes libri' et ad IV, 13, 18 ,veteres nostri libri'. quoniam igitur subtili iudicio distinxisse Scaligerum veteres a recentibus libros cognovimus, nihil video cur excerpta illa vetusta pariter atque Nostradamensia etiam ad quartum librum pertinuisse negemus, praesertim cum istorum quos memoravi locorum (IV, 2, 23 et IV, 13, 18) sententiae optume excerptorum conveniant indoli et compositioni. deinde quo iure Scaliger incuriae utique inculpandus esse iudicetur si communem veteris fragmenti et excerptorum scripturam ,omni vetere scriptura' testatam dixerit, equidem parum intellego. at forsan obieceris Scaligerum cum per priores libros totiens excerpta commemoraverit, libro quarto ne semel quidem expressis verbis eorum fecisse mentionem. audio, sed si recordaris inde a libro III, 4, 65 uti illum incepisse fragmento Cuiacii optumo et emendatissimo, quid mirum, quod excerptorum scripturas, quas raro ab huius codicis lectionibus discrepuisse putes, minus quam antea curavit?

Haec igitur si recte disputata sunt, Scaligeri excerpta et ipsa ad totum pertinebant corpus Tibullianum, ut quae

ille in testimonium praeterea citaverit ad IV, 2, 23 et IV, 13, 18. neque repugnat, quod Notradamensia excerpta non ultra panegyricum procedunt. id enim aut neglegentia accidisse credo aut alio casu eodem quo Vincentius plane omiserit librum quartum. nempe hunc scriptorem, qui non plus septuaginta quattuor versus rettulit, cum Nostradamensia excerpta ducentos fere sexaginta praebeant, ipsa excerpsisse excerpta in aperto est.

Ad summam excerpta neque manifestis veteris correctoris interpolationibus gravius aut perniciosius quam plenos codices furtiva deinceps scribentium legentiumque lubidine esse depravata, neque e decurtato archetypo fluxisse Muellero concesserim.

Igitur hanc unam viam in diiudicanda harum excerptionum fide ingrediendam esse censeo, ut inquirentes in singulas scripturae discrepantias exploremus, si forte genuina et quae Tibullianum colorem prae se ferant ex illis possint elici. qualia si nonnulla in corruptelarum colluvie extant, idque ita esse neque a Muellero plane negatur et aliis elucebit, necesse est ut excerptorum auctoritatem si minus superiorem esse, at tamen non inferiorem codicibus arbitremur. nam ut plura sint in excerptis corrupta, minorem a vetustate commendationem habent codices.

III.

De singulis ceterorum et maxume Nostradamensium excerptorum scripturis.

Primum tales perstringam excerptorum scripturas, quae quin errore aut ignorantia librariorum ortae sint dubitari nequit. ita Nostradamensia excerpta falso praebent

I, 1, 7 ,feram' pro ,seram',
I, 1, 47 ,et' pro ,aut',
I, 1, 49 ,rure' pro ,iure',
I, 5, 62 ,lumine' pro ,limine',
I, 5, 63 ,augusto' pro ,angusto',
I, 9, 28 ,invictos' pro ,invitos',
I, 10, 8 ,aptabat' pro ,astabat',
I, 10, 36 ,pauppis' pro ,puppis',
I, 10, 37 ,capillo' pro ,capillos',
I, 10, 46 omissus est,
I, 10, 49 ,nomenque' pro ,vomerque',
II, 1, 43 ,cum' pro ,tum',
II, 1, 44 ,ortus' pro ,hortus',
II, 2, 13 ,totumque' pro ,totum quaecunque, ,te' pro ,ne',
II, 3, 45 ,plaudat' pro ,claudit',
II, 3, 47 ,coniugia' pro convivia',
III, 3, 12 ,fundant' pro ,findant',
III, 3, 17 ,iuntheo' pro ,Erythraeo',

III, 3, 21 ,lavantur' pro levantur',
III, 4, 19 ,mentis' pro ,menti',
III, 6, 20 ,agit' pro ,ait',
III, 6, 34 ,locum' pro ,iocum',
IV, 1, 43 ,equitum' pro ,aequatum',
IV, 1, 45 ,iam, pro ,nam',
IV, 1, 83 ,praedicere' pro ,praeducere',
IV, 1, 86 ,montibus' pro ,fontibus',
IV, 1, 87 ,stabilis' pro ,facilis',
IV, 1, 91 ,haut' pro ,aut', ,celereve' pro ,celeremve',
IV, 1, 95 ,parva' pro ,parma',
IV, 1, 103 ,seu vinctum' pro ,seiunctim', ut Salmasius emendavit, nam consentiunt hoc loco libri et excerpta, quoniam ,seu iunctum' quod Lachmanno teste libri exhibent plane eisdem olim exprimebatur litteris, quibus ,seu vinctum', cf. I, 1, 64, ubi Lachmanni Ace praebent ,vincta', BPd ,iuncta. [78])

His locis aperte corruptis statim ii subiungendi sunt, quos dedita opera ab excerptore immutatos esse adparet. saepissime enim non solum — et hoc quidem fere semper factum est — particulae copulativae conexus sententiarum obliterandi caussa demptae sunt, sed etiam aliae particulae, coniunctiones, pronomina, tempora, modi mutati, quo facilius versus per se ipsi intellegerentur. quin una cum verbis etiam sententias haud raro transformabat compilator ita ut quae poeta de una certaque persona aut re dixit, in plures vel omnes cadant in eclogis, cf. pag. 33. excerpta igitur Nostradamensia, ut a particulis et coniunctionibus aut mutatis aut omissis ordiar, ,non' posuere pro ,nec' III, 2, 29 et III, 6, 35—36, ,ne' pro ,nec' I, 6, 75: I, 9, 23: II, 6, 45, fortasse

[78]) silentio praeterii orthographicas discrepantias velut cod. Nostrad. scripturas ,sompnia' (II, 1. 90) ,columpnis' (III, 3, 13), de quibus cf. Schuchardt. I, pag. 149, aliaque minutiora errata velut quae falsa verborum diremptione nata sunt, ut in cod. Nostrad. ,cum mana' ex ,Cumana' similia.

etiam II, 2, 13[79]), ‚nunc' pro ‚tunc' I, 8, 43 et 45: ‚nam' coniunctio amota est III, 3, 11, ‚at' I, 2, 87.

Paulo uberius dicendum videtur de versibus III, 5, 15—16, quos codices tales exhibent: ‚et nondum cani nigros laesere capillos nec venit tardo curva senecta pede': excerptor primus quippe qui versus ad peculiarem usum conformare studeret, versum 15 ita immutavit ‚*saepe quidem* cani nigros laesere capillos', deinde consilii sui oblitus ad codicis auctoritatem quam modo dereliquerat recidit sic pergens ‚*nec* venit tacito curva senecta pede': iam scriptor florilegii sive socordia sive ignorantia quamvis repugnates inter se sententias sic ut scriptas in excerptis invenerat compilavit, Vincentius autem l. c. VI, 100 etiam versu 16 mutato ‚nec' depravavit in ‚saepe'. pronomina quoque ab excerptoribus mutata aut omissa sunt: III, 6, 44 in florilegio pro ‚tuo' positum est ‚suum', III, 6, 33, pro ‚mihi' substitutum ‚quam'. genus semel immutatum invenitur: nam III, 1, 7 codices recte praebent ‚pretio capiuntur avarae', excerpta Parisina ‚precio capiuntur avari'. age vero ne modorum et temporum excerptoris arbitrio immutatorum exempla desideres, florilegium I, 3, 88 ‚remittit' pro ‚remittat' exhibet, II, 1, 9 ‚sunt' pro ‚sint', II, 1, 29 ‚celebrant' pro ‚celebrent', III, 3, 31 ‚cupiunt' pro ‚cupiant', III, 3, 44 ‚didicit' pro ‚disces'. summa vero licentia et temeritate in variandis poetae sententiis compilatorem usum esse e plurimis elucet Nostradamensium praecipue excerptorum locis. I, 3, 83 pro ‚at tu casta precor maneas' excerptor edidit ‚casta precor coniunx maneas', I, 1, 37 ‚adsitis divi' abiit in ‚vos quoque adeste dei', II, 6, 19 ‚iam mala finissem leto sed' in ‚finirent multi leto mala', III, 3, 11 ‚nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri' in ‚quid prodesse potest pondus grave divitis auri', I, 9, 51 ‚tu procul hinc absis' in ‚sit procul a nobis', II, 1, 89 ‚postque venit tacitus' in ‚accedit tacitis': quoscunque versus aut ipse non intellegebat compilator aut ut lectores intellegerent verebatur, si non plane omisit, — quod quidem I, 2, 84—85: I, 10, 46: II, 3, 43—44, III, 3, 14—15 factum est —

---

[79]) legendum enim in excerptis pro ‚te' credo ‚ne'.

at certe ita immutare ut vel pueris sensus pateret, non dubitavit: quare versus II, 4, 29 - 30 hos

,hic dat avaritiae causas et Coa puellis
vestis et e rubro lurida concha mari'

interpretis quasi partibus susceptis ita extenuavit

,praebet avaritiae causas pretiosa potentum
vestis et e rubro lurida concha mari'.

eodem modo interdum ab isto, qui sine dubio ut Vincentius in rebus sacris versabatur, immutata cognoscimus quae aut omnino non decere aut cum suae vitae disciplina et institutis non convenire existumaverit. hanc esse caussam mihi constat, cur I, 1, 71 ss. non solum ordinem turbaverit versuum sed etiam haec ,nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes non pudet et rixas inseruisse iuvat. hic ego dux milesque bonus' plane omiserit, cur II, 3, 35 codicum scripturae ,Venerem' substituerit ,Pacem', cur denique suavissimos illos Lygdami versus III, 3, 31—32 ,liceat mihi paupere cultu securo cara coniuge posse frui' ad languidam et vere ieiunam hanc redegerit sententiam ,liceat mihi paupere cultu securo vitae munere posse frui.'

Duobus porro locis Tibullus excerptori alias plane sententias expromendi ansam dedit, nam e III, 4, 19 ,nec me sopierat menti deus utilis aegrae' factum est in excerptis Nostradamensibus ,mentis' [lege ,menti'] ,sopor utilis aegrae est', et III, 5, 12 ,nec cor sollcitant facta nefanda meum' tam in florilegio quam in Vincentii excerptis novam formam hanc refert ,sollicitant pectus facta nefanda reum.'

Extremum est, ut complures commemorem locos, quibus mutationis consilium minus quam in eis quos perstrinximus manifestum sit, quos tamen metricam ob caussam immutatos esse credam. distichorum enim artem incohatam esse a Catullo, productam a Propertio et Tibullo, perfectam ab Ovidio cum aliis rebus tum clausulae pentametri trisyllabae usu comprobatur. nam multo rarius quam apud Catullum hic exitus in Propertianis et Tibullianis [80]) reperitur, politissima vero Ovidii

[80]) enotavi huiusmodi versus e Catullo octoginta sex, e Propertio quadraginta duos, e Tibulli vigenti duos, e Lygdamo tres.

ars si minus plane reformidavit eam pentametri structuram at certe rarissime (ex Ponto I, 1, 66: III, 5, 40: III, 6, 46: IV, 9, 26: Heroid. XIV, 62) adhibuit. Ovidiana vero in versibus pangendis placita quoniam non solum posteriores poetas sed etiam medii aevi grammaticos satis diligenter observasse confirmant viri in hac studiorum parte multum versati[81]) factum esse non mirabimur ut etiam excerptor Tibulli quo elegantius fluerent numeri, versibus in vocabulum trisyllabum exeuntibus alios Ovidianam prae se ferentes artem substitueret. ita legitur in excerptis I, 1, 50 ‚qui maris et coeli nubila ferre potest' pro ‚qui maris et tristes ferre potest pluvias', I, 5, 62 ‚primus et in duro limine fixus erit' pro ‚primus et in tenero fixus erit latere', II, 1, 8 ‚plena coronato vertice stare boves' pro ‚plena coronato stare boves capite', II, 3, 40 ‚cum tribuit dubiae bellica rostra rati' pro ‚bellica cum dubiis rostra dedit ratibus,' II, 6, 20 ‚spes fovet et melius cras fore semper ait' pro ‚spes fovet et fore cras semper ait melius.'

Omnibus igitur his locis codicum scripturae praeferendae sunt excerptis. iam reliquas deinceps percenseamus discrepantias, quae eo accuratius examinandae sunt, quod de industria novasse excerptorem nihil est cur statuamus.

I, 1, 29.

Libri praebent ‚bidentes' excepta Regiensi, in qua est ‚bidentem' pariter atque in excerptis Nostradamensibus. quod Dissenius I, p. 2 unum bidentem non plures simul tenere posse poetam adnotat argutius est, neque enim idem offendit in antecedente ‚rivos' vocabulo, quamquam ne ad rivos quidem simul plures poetam requiescere posse elucet. si igitur omissa codicum ratione certius quid explorare volumus, numerorum adgrediemur usum Tibullianum atque num saepius poeta singularem usurpaverit pro plurali et vice versa investigabimus. permulta enim sunt vocabula, quae modo plurali modo singulari Tibullus expresserit, velut II, 1, 50 ‚compleat ut dulci sedula *melle* favos', at I, 3, 45 ‚ipsae *mella* dabant quercus',

---

[81]) cf. L. Mueller. l. c. p. 72.

vel II, 6, 31 ,illius dona *sepulcro* — feram', at I, 3, 8 ,et fleat effusis ante *sepulcra* comis', quo loco nisi de uno poetae sepulcro non agi constat. deinde I, 7, 37 ,ille *liquor* docuit voces inflectere cantu', contra II, 1, 45 ,aurea tunc pressos pedibus dedit uva *liquores*', et I, 6, 49 ,stat saucia pectus', contra I, 7, 40 ,Bacchus et agricolae magno confecta labore *pectora* tristitiae dissoluenda dedit'. eodem modo nullo aut minumo significationis discrimine scripta sunt II, 3, 16 et I, 5, 64 ,via, et ,viam', contra I, 3, 14 et II, 1, 78 ,vias', alibi ,coma' singularis et ,comae' pluralis (cf. I, 7, 34: IV, 4, 2, — II, 2, 20: I, 8, 10), ,capillus' et ,capilli' (cf. I, 7, 51: I, 10, 37, —I, 8, 9: I, 9, 15: I, 10, 53), ,aqua' et ,aquae' (cf. I, 7, 22: I, 4, 44: I, 9, 50: I, 10, 36, —I, 7, 14: I, 4, 66: II, 1, 44). verum tamen accuratius haec perlustrantes non fugiet maiore poetam studio formas plurativas amplexum esse. sic noniens pluraliter posuit ,capillos', bis numero singulari. nec tantum I, 2, 59 ,frigora', I, 4, 2 ,soles, et ,nives' legimus, sed etiam I, 1, 28 ,rivos', I, 3, 79 ,numina Veneris', I, 3, 41 ,subiit iuga', II, 1, 63 ,colusque' quam pluralem esse formam optume nuper Muellerus e codicis Frisingensis ,colu' (I, 3, 86) effecit. quam ob rem etiam hic praetulisse poetam ,bidentes' crediderim, quamquam si quis obiciat, aptius in eo disticho cum ,stimulo' convenire videri singularem formam, non habeo qui refellere possim.

I, 1, 43—44.

In emendationibus Puccii et fortasse etiam in codice Eboracensi vetustissimo legebatur ,parva satis mensa est.' verum non dubium est quin proba sit ceterorum manu scriptorum lectio ,parva seges satis est', neque excerpta Nostradamensia nisi propter verborum ,seges' et ,satis' similitudinem alterum vocabulum videntur omisisse. iam vero codices omnes sic pergunt ,satis est requiescere lecto scilicet et solito membra levare toro', excerpta autem haec praebent ,parva (seges) satis est, *uno* requiescere lecto scilicet et solito membra levare toro'. codicum lectio languida, excerptorum elegantissima, illa interpolata haec vera mihi videtur. nonne enim quasi oscitantis hominis haec tautologia ,requiescere lecto' et ,mem-

bra levare toro' abhorret a vigore poetae et varietate? sed ,uno' restituto totum enuntiatum suavitatem spirat vere Tibullianam: iam versu 43 non modo requiescens lecto sed felici amore cum Delia coniunctus adparet, qua quid imagine aptius est in elegia cuius argumentum sic indicatur v. 57 ,mea Delia tecum dum modo sim'? nec silentio praeteribo, Tibullum saepius uno verbo adumbrare quae postea uberius depingat, quem ad modum ,unus' ille ,lectus' praemonstrat sententiam subsequentem v. 46. ,scilicet' pro ,si licet' levis est ac frequens error.

I, 1, 48.

Codices quod habent ,igne', Scaliger et ante eum Muretus eiecerunt, recepere excerptorum scripturam ,imbre' omnibus hodie probatam.

I, 1, 72.

Volgabatur ,capite', donec Lachmannus ex optumis suis ABd, capiti 'protulit quod Hauptius quoque recepit. dativum recte Dissenius monuit huic loco non convenire, quamquam repugnat Drenkhanius (Progr. Putbus. 1862) pag. 2: ablativi[82]) vero formam in ,i' desinentem quae apud Lucretium nihil habet offensionis toleraturque apud Catullum LXVIII, 124, a Tibulli aetate ac sermone alienam iudico, apud quem ,capite' recte legitur I, 7, 52 et II, 1, 8. revocandum igitur ,capite' ex excerptis et Pce.

I, 2, 87—89.

Codd. praebent:

,at tu qui laetus rides mala nostra caveto
mox tibi: non unus saeviet usque deus',

excerpta talem exhibent versum 88

,mox tibi et iratus saeviet usque deus'.

neutra scriptura proba est, nam ut codicum ,unus' ita excerptorum ,et' vocabulo offendimus, utra vero sit interpolata, equidem diiudicare non audeo. — insequente versu legitur in codicibus ,vidi ego qui iuvenum miseros *lusisset* amores', in

---

[82]) cf. Buecheler, grundriss der lat. declination, Leipz. 1866, pag. 51.

excerptis Nostrad. et Vincentii ,vidi ego qui miseros iuvenum *damnasset* amores'. de verborum conlocatione Richterus pag. 62 iam dixit in excerptis versum melius conformatum atque in speciem Tibullianam legi. at etiam totam scripturam excerptorum servandam esse contendo, nam quod Richterus putavit tam exquisitum esse ,lusisset', ut de eo dubitari non posset, ,damnasset' vero ex adnotatione marginali inrepsisse aut propter ambiguum verbi ,ludere' sensum ab excerptore substitutum esse, mihi quidem minume probavit. quia enim ,damnasset' hoc loco multo est efficacius et fortius, mihi videtur veri similius, hoc verbum poetam dixisse, inrepsisse autem ,lusisset' ex I, 8, 71 — ,hic Marathus quondam miseros ludebat amantes' — huc adscriptum.

I, 3, 67—68.

Codices ,in nocte', excerpta Parisina ,sub nocte', quod equidem praeferre non gravor. postquam enim poeta beatorum sedes suavissimis adumbravit imaginibus (vv. 59—64), pergit ad sceleratorum quas teterrimis coloribus depingere studet (67—79). nonne vero formidulosius est adeo sub noctem deiectos fingere impios quam in noctem? sic apud Homerum mortui descendunt ὑπὸ ζόφον. versu sequente codices praebent ,circum', excerpta ,circa'. Tibullus quamquam sine ullo discrimine modo ,circum' modo ,circa' voce utitur (velut ,circum' I, 1, 23: I, 5, 51 — ,circa' I, 3, 87: I, 7, 56) tamen hic nescio an ,circa' scripserit ut sono quoque depingeretur inferorum quaedam vasta solitudo ,abdit*a* quam circ*a* flumin*a* nigr*a* sonant', cf. de litterae eiusdem cumulatione I, 2, 6 ,clauditur et dur*a* ianu*a* firm*a*, ser*a*', I, 10, 40 ,occulit in parv*a* pigr*a* senect*a* cas*a*', I, 8, 76 ,quaecunque opposit*a* est ianu*a* dur*a* ser*a*'.

I, 9, 25.

In codicibus legitur ,lene' aut ,leva', in Puccii emendationibus ,saepe', volgo ,lena'. sed omnia haec frigent Hauptiusque bene emendavit ,lingua', quam emendationem confirmavere excerpta.

I, 10, 5.

In optumis codicibus ita legitur ,an nihil ille miser meruit',

in deterioribus ‚at' pro ‚an', excerpta praebent ‚forsan et ille nihil meruit'. Lachmannus codicum auctoritate innixus ‚an' recepit eumque secutus est Rossbachius, prave quidem uterque interpungentes. Scaliger, Broukhusius, Heynius, Huschkius, Dissenius, Riglerus ‚at' posuerunt. sin cum Hauptio sic interpungimus

‚an nihil ille miser meruit, nos ad mala nostra
vertimus in saevas quod dedit ille feras?'

et bene cohaerent omnia neque quidquam arti Tibullianae repugnat. excerptorum contra scriptura uti per se languet ita ideo interpolata videtur, quod excerptor ‚an' particulae vim ignorabat, quod idem vel nostra aetate Dissenio usu venisse video.

I, 10, 8.

Codices ‚ante dapes' uno excepto Colbertino, qui ‚pedes' praebet, florilegium ‚ante merum'. utraque lectio non insipida, utraque colore Tibulliano non carens. multo tamen facilius adductum esse excerptorem credo, cum scyphum legisset, ut vini subiceret vocabulum, quam librarium, si ‚merum' invenisset in codice, ut ‚dapes' substitueret a scyphi consortione paulo remotiores.

I, 10, 37.

Codices plerique ‚percussisque', excerpta Scaligeri et Nostradamensia ‚perscissisque'. illa scriptura aperte corrupta est, nam qua ratione percussae dicuntur mortuorum genae? Heinsius igitur scripsit ‚exesisque', qua emendatione nihil contendit certius esse Broukhusius. at qua re genae exesae sunt? „sive morbo longiore intelleguntur exesae sive rogo", respondit Heinsius in Adversariis suis (Broukh. pag. 461). sed illud nimis est reconditum, hoc minus rectum, nam ea ipsa forma quam sub mortis horam gestaverint umbras ad inferos descendere creditas esse ipse Heinsius docet. igitur non licet exesas, at licet opinor perscissas vi ignis genas statuere. levissimo autem litterarum discrimine inter se distant ‚percussis' et ‚perscissis'. nec opus videtur violentioris verbi in lenius mutatione ab Hauptio facta sic ‚rescissisque', cf. I, 10, 61.

I, 10, 40.

Egregie excerpta Vincentii et Nostradamensia ,quam potius laudandus hic est, quem prole parata *occulit* in parva pigra senecta casa', cum codices consentiant in ,occupat'. nam occulere verbum proprie est Tibullianum, quod legitur I, 2, 37 ,si quis et imprudens aspexerit occulat ille', et I, 7, 24 ,quibus in terris occuluisse caput', et tertio loco nuper restitutum: versum enim inter viros doctos multifariam agitatum I, 6, 42 codices male sartum sic exhibent ,stet procul aut alia stet procul ante via'. praetermitto innumerabilia quibus sanare loci morbum interpretes studuere medicamina, nam Statii quoque coniecturam ,stet procul ante, alia stet procul ante via' Hauptio probatam, quod vehementiorem adfert emphasin, minume convenire sedato illi et moderato sermoni elucet. eo libentius accepi a Buechelero propositam emendationem ,stet procul aut alia se occulat ante via', etiam litterarum similitudine admodum commendatam. fortasse pro ,aut' praeferendum ,atque', quod in Puccii emendationibus inveniri Lachmannus auctor est. sed ut redeamus ad decimam elegiam, ,occulit' vox imaginem nova specie ornat redditque vividiorem ut procul a turba belloque remotus fingatur rusticus senex.

I, 10, 49.

Codices ,pace bidens vomerque vigent', excerpta Scaligeri Heinsio teste non ut apud Richterum mendo typographico legitur ,vites' sed ,nitet' exhibent, unde Guyetus primus ,nitent' scribendum esse vidit. codicum lectionem etiam hoc loco deteriorem esse quam excerptorum evicit Richterus pag. 65 ss, cui omnino assentior.

II, 1, 13.

In codicibus est omnibus ,pura cum *veste* venite', excerpta Parisina pro ,veste' praebent ,mente', quam lectionem ideo potiorem habeo, quod antecedentia verba ,casta placent superis' prius ad animi quam ad corporis habitum referri par erat. neque probabilitatis specie carere concedes, si ,veste' ex antecedentis elegiae versu 27 ,hanc pura cum veste sequar' huc inrepsisse dixero. etiam Heinsius ad Petronii sat. 44 ubi ,puris mentibus' legitur in re simili, e Tibulliano hoc

versu ,pura cum mente' protulit fortasse Scaligeri excerptis fretus.

II, 3, 36.

Codicum scripturam ,praeda tamen multis est *operata* malis' omnes editores servavere, Heynius adnotavit: „operari malis est mala committere, patrare, ut sacris operari est sacra facere" Wunderlichius Eumenium contulit de restaur. schol. c. 4: ,operari commodis', sed multum interest inter ,operari' et ,operatum esse', ,operatus' est quod nos dicimus ,beschäftigt, bemüht' ut ,feriatus' ,müssig, unbeschäftigt' cf. Lucret. IV, 982 ,et quibus in rebus consuerunt esse operati', Horat. ep. I, 2, 29 ,in cute curanda plus aequo operata iuventus', cum dativo sic ut hoc loco iunctum Verg. Aen. III, 136, conubis arvisque novis operata iuventus', neve desint Tibulliana II, 1, 9 ,omnia sint operata deo', ibidem 65 ,atque aliqua assiduae textrix operata Minervae', II, 5, 95 ,tunc operata deo pubes discumbet in herba'.. unde Tibulli usum minume a volgari abhorrere adparet. hic vero illud corruptum esse Heinsius iam vidit, qui quod ,onerata' scribi voluit, eo non opus est, quoniam excerpta probabilem et cum personae specie (35. 37. 39) congruentem praebent vocem ,adoperta', quam bis praeterea Tibullus posuit I, 1, 70 ,tenebris mors adoperta caput' et I, 9, 44. ita sensus existit non dissimilis versus I, 9, 18 ,saepe solent auro multa subesse mala'.

I, 5, 61. II, 3, 47. II, 4, 12. III, 5, 16.

Lego cum excerptis I, 5, 61 ,pauper erit praesto, semper tibi [pro ,te'] pauper adibit', quae longe praestare omnibus codicum lectionibus evicit Richterus pag. 72 ss. porro receptas volo cum Richtero pag. 3 et 63 excerptorum scripturas II, 3, 47 ,mihi' pro ,tibi', II, 4, 12 ,nunc' pro ,nam'. denique III, 5, 16 ,tacito' praetulerim ,tardo' voci, cum Lygdamo obversatos esse Tibulli versus I, 10, 34 et I, 9, 4 et Ovidii artis II, 670 pro certo habeam. quamquam per se non molestum est ,tardo pede', modo ne referatur cum Richtero ad ,venit' sed potius ad ,senecta.'

De panegyrici discrepantiis quoniam Muellerus subtili

usus indicio disseruit (l. c. pag. 72 s.) nihil mihi relictum est quod addam.

Uno verbo quid sentiam postremo de his qui secuntur versibus significabo.

1. praeferenda est codicum lectio

I, 2, 96 ‚despuit‘ pro ‚respuit‘,
I, 3, 70 ‚fugit‘ pro ‚iacet‘,
I, 2, 95 ‚circumterit‘ pro ‚circumdedit‘,
I, 5, 70 ‚rotae‘ pro ‚cito‘,
I, 8, 9 ‚molles prodest‘ pro ‚prodest molles‘,
I, 8, 14 ‚colligit‘ pro ‚colligat‘. colligantur enim plures res in unum, sin una ut hoc loco contrahitur, in angustum cogitur, propria vox est ‚colligere‘, cf. Verg. Aen. I, 320, Propert. (Lachm.) IV, 9, 29,
II, 1, 37 ‚rura cano‘ pro ‚rura colis‘,
II, 1, 89 ‚tacitus‘ pro ‚tacitis‘, somnus recte tacitus vocatur, cf. I, 6, 6 ‚tacita nox‘ et I, 8, 18 ‚tacitum noctis tempus‘,
III, 6, 13 ‚ferocem‘ pro ‚feroces‘, quam discrepantiam inde ortam esse elucet, quod sequentes duo versus in excerptis omissi sunt.

2. excerptorum lectio praeferenda est

I, 3, 87 ‚at‘ pro ‚ac‘,
I, 8, 10 ‚saepe et‘ pro ‚saepeque‘,
I, 9, 23 ‚celandi spes‘ pro ‚celanti fas‘,
I, 9, 24 ‚est qui — vetat‘ pro ‚sit qui — ‚vetet‘,
I, 9, 51 ‚formam cui‘ pro ‚cui formam‘ cf. Richterum pag. 63—64,
II, 1, 49 ‚ingerit‘ pro ‚ingerat‘,
II, 2, 15 ‚Indis‘ pro ‚undis‘,
II, 3, 41 ‚obsidere‘ pro ‚obsistere‘,
III, 6, 46 ‚cavere‘ pro ‚carere‘.

3. in dubio denique mihi relinquenda sunt haec

I, 1, 41 ‚fructusque‘ an ‚fructusve‘

I, 9, 3 ‚a miser, etsi' an ‚a miser est si',
I, 9, 28 ‚iussit' an ‚cogit',
I, 10, 4 ‚tum' an ‚et',
II, 2, 13 ‚malueris' an ‚quaesieris',
II, 3, 38 ‚mors propiorque' an ‚morsque propinqua',
III, 6, 7 ‚durum curae genus' an ‚curae durum genus',
III, 6, 45 ‚nec vos aut capiant' an ‚ne(c) vos decipiant',
IV, 1, 90 ‚iecerit' an ‚miserit'.

VITA.

Natus sum Ernestus Henricus Protzen Stargardiae Pomeranorum ante diem VI Idus Septembres anni h. s. XLIV, patre Samuele, quem praematura morte ereptum doleo, matre Friderica e gente Hoffmueller, quam superstitem qua decet pietate colo. fidei addictus sum evangelicae. litterarum primordiis imbutus per decem annos gymnasium patriae, quod tunc directore v. ill. Niemeyero florebat, frequentavi. autumno a. LXV maturitatis testimonio instructus Berolinum me contuli, ubi per ter senos menses scholis interfui philologicis Boeckhii, Hauptii, Huebneri, Iordani, philosophicis Trendelenburgii, Gruppii, historicis Droysenii, archaeologicis Friederichsii, paedagogicis Massmanni. inde Gryphiswaldiam petii ac per quattuor semestria Schoemanni, Buecheleri, Susemihlii, Hoeferi, Georgii disciplina usus sum. seminarii philologici per duo semestria sodalis eram ordinarius.

Viris omnibus quorum doctrina, exemplo, benevolentia in studiis litterarum exercendis adiutus sum prae ceteris autem Franc. Buechelero, cuius consilium mihi nunquam defuit, piam gratamque memoriam me semper servaturum esse profiteor.

THESES.

I.

Quam proposuerit Bubendeius (Quaestiones Tibullianae, Bonnae 1864) pag. 27—28 versuum transpositionem in Tibullo I, 10, 45—53 tolerari non posse.

II.

Optuma emendatione nuperrime v. ill. Schoemannum sanasse Hesiodi versum opp. 314 scribendo

δαίμονι δ' ἶσος ἔσῃ. τῷ ἐργάζεσθαι ἄμεινον.

III.

Male viros doctos in Aristophanis Nubibus versus 110—120 (ed. Bergk.) ad secundam recensionem rettulisse.

IV.

Rectius de tempore confectae Laocoontis statuae Lessingium (Verm. Schr. Berl. 1792 t. IX p. 76—101, p. 358—87) quam Winkelmannum (Werke, Dresden 1815 t. VI p. 101—7, t. VII p. 189—90) disputasse.

V.

Quae Scaliger de critica in libris sacris factitanda identidem bene monuerit (cf. Bernaysi vitam Scaligeri pag. 203) a viris theologis ad hunc usque diem saepissime neglecta esse.

VI.

Artem criticam philologiae supremam esse legem.

VII.

In liberis educandis plus profici benignitate quam severitate.